

als 00 L

Rubr. /X. Nro. 62.

**Gymnasial - Bibliothek**

zu Cöthen.

oo  
Ba

---

L 153,

In dem Buche sind 3 Bücher eingebunden:

(1) Stephani Pseudocicero, 4 Bde:

1) Henrici Stephani Pila, ab Helmeveen, p. 1. -  
- LXXVI.

2) H. Stephani Pseudocicero. p. 1. - CXXXV.

3) - - De Plauti Latinilake - CCXXXII.

4) - - Epistola de sua Latinilake Typographia.

5) - - Summaria artis Typographicae.

(2) Voßii libro de Latinilake s. al. E. a Gessero, unft.

1) Voßii liber de Latinilake flecha.

2) Dommeis de vilio Cicroni imilake.

3) Cicero Relegatus et Revocatus, dialogus.

(3) Summius de periodis - unft.

1) Halbaer de handilus Summi.

2) Summius de periodis.

3) Summi Epistola ad Liffelium.

3

IOHANNIS STVRMII  
DE  
**PERIODIS**  
LIBELLVS

VNA CVM EIVSDEM  
AD  
BARTHOLAEM· SIFFERTVM  
**EPISTOLA**

NVNC PRIMVM PVBLICATA

EDITVS CVRA

**FRID· ANDR· HALLBAVERI**

ELOQV' ET POES' PROF' PVBL' ORD'

QVI IN PRAEFATIONE PRAEMISSA

STVRMII

**MERITA ET LAVDES**

ATTIGIT.

EDITIO SECVNDA.



IENAE  
PROSTAT APVD CHRIST·FRANC·BVCHIVM  
CIC· MDCC XXXIIII.

C. f. n. 1.

IOHANNIS STURMI

DE

PERIODIS

LIBELLVS

ANNO DOMINI MDCCLXXII

AD

BARTHOLOM. SMITHVM

EPISTOLA

AD

EDV. CUR.

FRID. ANDR. HALLBAV. ET

ALIOV ET ROV. ET AL. ORD.

QVI IN REFORMATIONE TRAEVITIA

STVRMI

MERITA ET VIRTUTES

REPERIT

FRID. STURMI



ANNO

MDCCLXXII

MDCCCLXXII

Handwritten scribbles or marks in the bottom right corner.



V I R O  
SVMME VENERABILI  
ATQVE  
EXCELLENTISSIMO  
ERNEST· SALOM·  
CYPRIANO

SACRARVM LITTERARVM DOCTORI  
CELEBERRIMO

THEOLOGO MAGNIS MERITIS DVDVM CON-  
SPICVO MELIORVM LITTERARVM  
FELICISSIMO CONSERVATORI  
SERENISSIMI DVCIS GOTHANI

IN  
REBVS ECCLESIASTICIS  
ET IN  
SVPREMO SACRO SENATV  
CONSILIARIO SPECTATISSIMO

*PATRONO PIE COLENDO*

S· P·

FRIDERICVS ANDREAS HALLBAVERVS



ERNEST SALOM  
CYPRIANO



**T**SI verendum mihi est, ne quibusdam abuti TVA benignitate videar, qui librum, mole non grandem, cum gloria TVA coniunctum velim; TVA tamen, quae maxima est, humanitas non impudentiae tantum nota me liberat; verum confidere quoque iubet, gratum TIBI opusculum fore, quod, qui inter principes eruditorum merito numeratur, STVRMIVS more suo, hoc est, docte & polite confecit, aequae ac officium grati deuotique animi, quo TIBI illud dedicatur. Etenim ab eiusmodi viro, qui eminente ingenio, & mirifica doctrina, & infinitis in scholasticam rem meritis, alter sit STVRMIVS, & qui nouum editorem beneuolentia complectatur, contra sinistre sentientes foueri cupit libellus, ad mentem summorum, quos Graecia Romaque coluit, oratorum cogitate periteque conscriptus. Illustre  
illud



DEDICATIO.

illud Coburgensium Gymnasium, cui cum  
 ea laude, quam obscuratura est nulla um-  
 quam obliuio, olim praefuisti, non minus,  
 quam scripta TVA, incredibili eruditorum  
 adplausu excepta, testantur, quantum con-  
 siliis TVIS & laboribus, ea studia debeant,  
 quae reliquorum omnium & vniuersae soli-  
 dioris eruditionis praesidia sunt & orna-  
 menta. Hoc quidem tempore, quod im-  
 positum TIBI a PIO & SAPIENTE PRIN-  
 CIPE sanctissimae grauitatis munus requi-  
 rit, diuinis in rebus potissimum occupatus  
 es: curarum TVARVM partem tamen scho-  
 lae sibi vindicant & litterae, quae ad huma-  
 nitatem ducunt, atque diuiniore sapientiae  
 fontes aperiunt. Quum igitur, quod in pri-  
 mis mirandum, vtrique ex aequo sufficis,  
 tam sacrae rei adiuuandae, quam elegantiori  
 doctrinae exornandae; dudum solemne est  
 iis, qui in diuiniore atque humaniori-  
 bus litteris aliquid meditantur, vt illud ad  
 TE, vir consummatissime, tamquam ad iu-  
 dicem, earum scientia mirifice excellen-  
 tem, referant. Sed praeter hanc alia mihi  
 est ratio, cur elegantissimum libellum, quem  
 in lucem publico vsui restituo, TIBI sacra-  
 tum esse voluerim. Non dubiis significa-  
 tionibus declarasti, TIBI meos adprobari  
 conatus: itaque, licet silentio TE obserua-  
 uerim semper, hominis ingenui non puto  
 me partes sustinere posse, nisi documento  
 aliquo

DEDICATIO.

aliquo publice probem, quantum istī TVAE  
in me benevolentiae debeam. Accipe igitur  
TVA, id est summa humanitate, meae  
in TE venerationis testimonium grataeque  
mentis pignus, & musas meas, quod vnice  
rogo, porro TIBI habe commendatas.  
Quod superest, DEVM immortalem sup-  
plex precor, vt TE tamdiu mortalium re-  
bus saluum & incolumem interesse velit,  
donec bonorum omnium expectationem  
superaueris, & TIBI satisfeceris: merita  
autem TVA ipsa aeternitas tueatur, vt vi-  
geant memoria saeculorum omnium. Vale,  
in Academia Ienensi a. d. x. Kal. Octobr.

MDCCLXXVII.



FRIDER.



FRIDER. ANDR. HALLBAVERI

ELOQV' ET POES' PROF' PVBL' ORD'

DISSERTATIO

DE

MERITIS IOH. STVRMII.

I.

**S**Vperiori anno, quum IOHANNIS STVRMII, viri omnium optime meriti de eloquentia, *tres de imitatione oratoria libros*, diu a doctissimis desideratos, aliis iunctos elegantioribus eodem de argumento opusculis, ad communem usum proferremus; ad extremum dissertationis *de sectis imitatorum*, collectioni isti praepositae, polliciti sumus, cognito, quod nostri eruditus conatus haud improbentur, nos eiusdem *de periodis librum*, rarissimum adhuc inuentum, studiosius recensitum, edituros. Posteaquam igitur ex multorum cum sermonibus tum litteris, quam cupide Sturmiianam istam *de imitatione* commentationem exceperint, omnino perspectum nobis est & exploratum; nostrarum erit partium, promissis stare, ne multorum expectationem, a nobis concitatam, decipere velle videamur.

II.

Quodsi cuiusquam, profecto STVRMII monumenta digna sunt, quae ab omnibus, qui eloquentiae operam nauant, atque ad veram istius laudem contendunt, diligenter euoluantur. Etenim inter recentiores eo propior nemo accessit ad illam antiquam latin-

tatis puritatem: nemo magis vetustam illam oratorum & Graecorum & Latinorum dicendi doctrinam habuit cognitam: nemo maiori Italorum, Gallorum, Batauorum, Anglorum, omnium cultiorum Europae gentium consensu, eloquentiae princeps & Germaniae lumen fuit adpellatus. Barbariem oppugnatum literisque splendorem ac dignitatem restitutum ire dum in animum induxerat: non assiduis querimoniis, sed salutaribus consiliis; non superbis conuiciis, sed humanis admonitionibus; non in medium prolatis nugis, sed collocata in rebus vtilibus opera, id posse effici & debere, sapientissime arbitratus est. Factum inde, ut ille vnus plus ad vtilitatem publicam contulerit, quam sexcenti alii, qui tum temporis aut numquam non multa querebantur, veneres omnes cum antiquis illis e terra discessisse; aut qui rixabantur & Acheronta mouebant in homunculos barbaros, stupidos; aut qui in Plautinis facetiis conseruandis studium consumebant omne, ac praeterea forte de passere Lesbiae aliquid conscribebant; vulneraque scriptoribus in antiquis quaerebant, ut viderentur habere, quibus possent mederi.

## III.

Accidit quidem STVRMIO, quod viris, qui sese barbariei obiecerunt, omnibus, ut meritorum laudumque comites haberet inuidorum quorundam calumnias atque obtrecciones: a quibus tamen ut eum vindicem, non multum mihi laborandum puto. Oportet enim vere magnum fuisse, quem MELANCHTHON, ERASMVVS, CAMERARIVS, BVDAEVS, BEMBVS, SADOLETVS, ASCHAMVS, ceterique, quos ea aetas ostentauit, immortalis gloriae viri, summis extulerunt laudibus; quem hi se multis superiorem partibus praedicarunt; quem hi singulari prosequuti sunt benevolentia. Non vero a sui duntaxat aevi heroibus maximi aestimatus est celebratusque

que; sed nactus etiam ex sequentium temporum eruditissimum quemuis egregiorum suorum in meliores litteras meritorum praedicatorum. Possem grandes elogiorum cumulos adferre, quibus exteri non minus, quam ciues eum decorarunt, si integrum conscribere librum liceret: quum autem instituti ratio habenda sit; vnum adduxisse satis erit, sed longe grauissimum testimonium, humanitatis vindicis omni omnium laude maioris, IOH' PHIL' SLEVOGTII, quod saeculi huius ornamentum nuper, proh! dolor, amisit academia nostra. Quem enim tantus dicendi magister vocauit \* *praeclaram scholarum per Germaniam restauratorem*; & rursus \*\* *maximum virum, sapientia, eruditione omnique animi cultu cum optimis veterum comparandum*: nae eius verissimam esse laudem existimabunt omnes, qui cogitant tantis eum cumulatam esse laudibus ab eo, qui ipse in summa laude vixit. Atque hic praeterea de STVRMIO ita iudicauit, quod alicubi adhuc locorum incedatur recto itinere, & ingruenti barbariei, quantum possit, aditus pracludantur, vt id sibi, tamquam auctori, adscribatur, eum esse promeritum.

## III.

Neque vero tantum eruditissimorum adplausum meruit & meritum ad nostram vsque aetatem obtinuit; quod quam difficile sit, nemo non intelligit: sed summam sibi quoque gratiam principum Europae, qua cultior patet, conciliauit. CAROLVS V. potentissimus ille Romanorum imperator, quum animo secum reputasset, quam eximia sint STVRMII in litterariam rem merita, nobilitatis eum insignibus donauit, hanc in publicis litteris, ea de re datis, interponens

) ( 5

nens

\* *Diff. de genio studiorum nostri temporis ad Iob. Jac. Auiannum Ictum missa.*

\*\* *Programmate in funere Georg. Schubarti CID MDCC I. scripto.*

nens causam, *quod vir sit excellentibus animi dotibus, ac virtutum ornamentis praeditus.* FERDINANDVS I. quanti eius eruditionem faceret, missis ad eum litteris clementissime ipse testatus est. MAXIMILIANVS vero II. nouis iisque singularibus immunitatibus ac priuilegiis eum ornauit. Qua beneuolentia HERMANNVS Archiepiscopus Coloniensis, & FRIDERICVS III. Palatinus aliique Germaniae principes complexi eum fuerint, ne iam commemorem; PEIFFERI elegantes epistolae, quas CROICC VIII. vir clar. FR. GOTTH. GOTTERVS primum edidit, ornatas summi viri, IOH. FRANC. BVDDEI doctissima praefatione, & quidem in iis altera \* ad ipsum STURMIVM, altera ad HVBERT LANGVE TVM perscripta, testes sunt, quanto istum pretio habuerit AVGVSTVS, Saxoniae elector, singularis eloquentiae & latinae linguae aestimator. In quibus eius se amare prudentiam fatetur, quae *recta sit, & eum egregium ac patriae amantem esse ciuem ostendat*; eumque hominem vocat *peritissimum rerum & exemplorum, virum denique praestantissimum.* Non minus eum exteri honorarunt, Galliae reges FRANCISCVS I. HENRICVS II. & III. Daniae reges CHRISTIANVS atque FRIDERICVS, qui annuo ipsum stipendio subleuarunt; Angliae rex EDVARDVS VI. huiusque soror ELISABETHA, quod ex ROGASCHAMI epistolis cognosci potest, regis non modo virtutibus insignis, verum etiam graece & latine docta omnisque generis eruditione singulariter ornata, cui ideo noster hunc de periodis librum dedicare non dubitauit. Confluebant praeterea ex diuersis Germaniae Galliaeque partibus ad florentissimam eo tempore Argentinensem academiam, litterarum ducti studio,

\* *Epist. LXXXII. p. 208.*

studio, illustres & generosi iuuenes, ita, vt STVRMIVS ipse confirmarit, \* anno CIO IO LXXVIII tres principes, viginti quatuor comites & barones, nobiles prope ducentor eam numerasse. Et cui, nostri saeculi morem intuenti, non prodigiis similia videantur, quum memoriae proditum legit, STVRMIVM ex puluere scholastico euocatum, missumque esse ad res maximorum regum, FRANCISCI Galliae & HENRICI Angliae, sua prudentia iuuandas constituendasque, & de rationibus induciarum pacisque, de summis imperantium rebus, tam perite ac feliciter eum egisse, vt summa cum voluntatis significatione, tamquam alter CICERO, dimitteretur.

## V.

Duas autem animaduertimus res, in quibus Sturmiiana merita maxime sunt illustria & ad omnem posteritatis memoriam consecrata. Primum Argentorati scholam constituit, eamque illustrauit docendo: dein eximia praecepta litteris consignata ac vulgata cum posteritate communicauit. De amplissimis Argentinenſis scholae laudibus, altero Ernestini, quod Hildburghulæ est, gymnasii natali, anno CIO IOCC XV egregie dixit vir clarissimus, IAC. BURCKARDVS eamque cultissimam orationem publicauit: & supra laudatus SLEVOGTIVS noster, \*\* quantum hinc utilitatis & commodi in iuuentutem redundauerit, paucis, sed verissimis verbis expressit, scribens, STVRMIVM in isto athenaeo, cuius cum parens tum primarius doctor erat, tam enixam tamque felicem in scholis ad scopum, quem laudauerat, conuenienter constitutendis, operam posuisse, tam salutaribus consiliis, tam indefesso labore praeiuisse litterariae publi, vt & principes summos accenderet ad petendum ex studiis humanioribus decus, & vicinas remotasque regiones hominibus solide doctis impleret; in huuc diem, quamuis iam diu exentus

rebus

\* Praef. Theoph. Golii onomastico praemissa.

\*\* Progr. in funere Schubarti MDCCI. scripto

*rebus humanis, non parum iuuantem patriam.* Vix vicesimum aetatis suae annum ingressus, primum Louanii, dein Lutetiae Parisiorum & heic quidem publico docendi muneri praefectus, qui imbuti honestis artibus cupiebant, maxima cum laude erudire, & prudenti consilio iis potissimum praestantissimos graecae latinaeque linguae auctores explicare coeperat; quum a senatu Argentoratensi ad seminarium, quod adornare cupiebat, instruendum euocaretur: cuius voluntati obtemperare eo minus dubitauit, quo maiora sibi pericula ob meliorum sacrorum studium imminere videbat. Neque vnquam Argentoratenses huius facti poenituit, quum rite ab eo constitutum hunc litterarium ludum, iuuentuti optimarum scientiarum cupidae, commoda adferre infinita ac reipublicae suae ingenti ornamento esse, sentirent. Primarium eruditionis omnis finem quum recte statueret esse religionem, summi Numinis & cognitionem & cultum; omnem contulit operam, vt haec non modo doctrina, verum etiam eloquentia excoleretur. Ita nimirum cum sacrarum rerum doctrina coniunctam esse eloquentiam voluit: quo sapientissimo instituto quantum vtrique praeslitterit praesidii; atque hoc ipso quam praeclare, dubiis illis temporibus, consuluerit oppugnatae fortiter veritati, ad eam toto terrarum orbe percelebrandam tuendamque, dici vix potest. Praeterea viam rectam iuuentuti monstrari curauit ad facultatem graecae latinaeque linguae consequendam, nec non humaniores disciplinas addiscendas omnes; semperque ducem in his se ipse praebuit atque iter vt ad virtutis laudem, sic ad litterarum deus, quod boni est doctoris, praeciuit constantissime. Atque hac ratione, quae aliis in scholis desiderata fuerant, effecit, vt in sua, essent maius in oratoribus, historicis, poetis aliisque scriptoribus, tam graecis, quam latinis, interpretandi studium; sufficiens vtilium scientiarum tractatio; verborum rerumque copia & delectus; quotidianus denique latini sermonis vsus.

Egre-



Egregia multa huius scholae instituta enarrare possem: veluti decem illa exercitationum genera, quibus discipulos contineri volebat, *psalmodias*, puta, *recitationes*, *conciones*, *scriptiones*, *declamationes*, *disputationes*, *collocutiones*, *demonstrationes*, *dramata*, *ludos*; decem curias s. classes, vna cum totidem suis praefectis, ita constitutas, vt iis iuuentus gradatim ad solidam adscenderet eruditionem; ingeniorum tres, quos in curiis istis statuerat, gradus, quorum primus erat excellentium, mediocrium secundus, tertius impedimentorum; docendi rationem vnam omnibus omnium classium collegis vsitatam; officia docentium discipulorumque, leges, ordinem & quae sunt alia: sed satis erit, lectorem, rei scholasticae amantem, ad ipsum STVRMIUM ablegare, qui in eximio *de litterarum ludis recte aperendis* libello; nec non in *tribus classiarum epistolarum libris*, quas *Argentoratenses scholas restitutas* inscripsit, ista omnia erudite tradidit pluribusque verbis explicauit. Illud vnum vt silentio praeteream, a me impetrare non possum, STVRMIUM sedulo cauisse, ne praeceptorum diuersae essent voluntates didacticaeque sententiae in educanda docendaque inuenirent; maxime ne similitates & rixae inter eos exorirentur; quoniam facile intelligebat, collegarum concordia scholae florem alii & conseruari; discordia destrui ac perdi. Aut omnia me fallunt, aut id in primis effecit, vt prae aliis scholis haec singulari laude floreret, quod eius magistri perpetuo conspirabant & raro exemplo, inter sese vna mente vnoque ore mirifice consentiebant. Quamquam & illud non minimam floris istius partem sibi vindicat, quod, STVRMIO auctore, non superioribus solum curiis, sed inferioribus etiam doctrina ac virtute praestantes atque exercitati in dicendo praeficerentur magistri, sic prorsus, vt vsu saepenumero veniret, vt qui decimae atque infimae curiae ab initio praeceptor fuisset, primae deinceps fieret moderator, & tandem in academicorum doctorum deligeretur ordinem. Eorum profecto, quos STVRMIUS colle-

collegas habuit, nomina hodieque non obscura sunt  
 BVCKERI, MARBACHII, SAPIDI, BEVTERI,  
 ERYTHRAEI, GOLII, DASYPODII, IVNII,  
 BENTZII, virorum, qui non tantum ea aetate scho-  
 lae istius laudem suis meritis amplificaverunt; sed etiam  
 egregiorum ingeniorum suorum monumenta, quibus  
 posteritati quoque inferuissent, reliquerunt. En! alte-  
 ras Athenas, a viro tam illustri laude conspicuo condi-  
 tas: quarum fama quum omnem Europam peruagata  
 esset; ex remotissimis regionibus iuvenes aduolarunt,  
 tanti viri disciplinae se tradituri, vt tandem necesse  
 esset, anno adsertae humano generi salutis CIOIOLXVI.  
 academiam, cuius STURMIVS perpetuus merito  
 suo rector esset, constituere, eamque scholae, cuius  
 idem magna prudentiae laude moderator fuerat, ad-  
 iungere. Ex vtraque vero ingens plane eorum prodiit  
 numerus, qui rei & sacrae & civili & litterariae, atque  
 his ipsis etiam feminariis magna adtulerunt commo-  
 da; qui in ciuitatibus, in principum aulis, in comitiis,  
 in legationibus egregiam praestiterunt operam. Quas  
 Sturmianae scholae laudes qui secum reputauerit, ha-  
 rumque rationes diligenter expenderit; gratulabitur  
 quidem temporibus, quae hoc optime institutum ly-  
 ceum illustrauit: sed recordatus, longe aliam, pesti-  
 mam videlicet, rationem scholarum nostri saeculi ple-  
 rarumque, dolorem capiet grauissimum. Quaerenti,  
 vnde nam illud sit aut coeperit malum, dudum ab eru-  
 ditis responsum est, quod a tam salutaribus STURMI  
 consiliis scholae recefferint. Potissimum in causa sunt  
 illa, quae pestem scholarum verissime vocaueris, quod  
 muneribus, maxime inferiorum ordinum obeundis,  
 admoventur destituti virtute, fide, prudentia, industria  
 & modestia, atque ad nihil minus, quam ad docenda  
 liberalia studia idonei; qui adeo demando officio  
 rite perfungi, spartamque ornare neque possunt, quum  
 velint, neque volunt, quum possint: dein, quod in  
 plerisque scholis plena sunt omnia discordiarum,  
 quum,

quum, qui pro ratione provinciae suae debebant esse coniunctissimi, dissociatis invidia atque odio animis, in diversa non modo abeunt; sed publicas etiam inimicitias gerunt & perpetuis rixis, quid? quod conuiciis inter se diglantur.

## VI.

Sed ad STVRMIJVM vt reuertar, quae sint eius potiora scripta, nunc indicandum est, quo pateat, quibus praecellentis ingenii monumentis omni & loco & tempore de litterarum studiis bene meruit; & quanto sit dignus honore, qui non suae modo aetatis homines, sed omnem quoque posteritatem meliores artes ita docuit, vt nemo sanius rectiusque. Iam supra nominavi doctissimos eius libros, vnum *de litterarum ludis recte aperiendis*; eiusdemque *tres epistolarum classicarum*. In isto praeclare multa differuit de ordinibus & progressibus studiorum, de ratione docendi, de resolvendis orationibus, de interpretandis auctoribus, de publicis lectionibus, de priuatis studiis, exercitiis scholasticis, aliis. *Classicas* vero *epistolas* ad praefectos classium, vnde nomen habent, dedit: in quibus vnique eorum nominatim docendi rationem officiaque praescripsit, & quae in superiori libello tradiderat, fusius explanauit & commendauit. Multa praeclara ex iis discent, qui scholis praesunt, si eas diligenter legerint: praesertim si coniunxerint reliquas eius eodem de argumento exquisitissimas lucubrationes. Habemus enim eiusdem *oeconomiam scholae Lauringanae*, scriptam ad PHILIPPVM LVDOVICVM & IOHANNEM, comites Palatinos Rheni: in qua praeceptorum officia descripta, & alia valde utilia de legibus scholae, nec non lectionibus per centurias & classes instituendis, tradita leguntur. Habemus eius elegantissimos libellos, alterum *de educatione principis* ad WILHELMVM, ducem Iuliacensium; alterum *de nobilitate litteraria*, sine de nobilium puerorum formatione: quorum isto principes, hoc nobili genere natos ad colenda litterarum

rum studia, quibus summum in sit decus & publica nitatur salus, magno cohortatur atque excitat opere. Quum vero incredibili latinam linguam & eloquentiam subleuandi studio flagraret; non modo antiquorum praecepta suis commentationibus illustrauit, dum *dialogos in ARISTOTELIS rhetoricam*; itemque in TVLLII, summi oratoris, *partitiones oratorias emendationes in huius rhetoricos libros; resolutionem eiusdem operum; in HERMOGENEM commentarios; alios in AESCHINIS ac DEMOSTHENIS orationes*; rursus alios in Q. HORATII FLACCI *artem poeticam; praefationes in quosdam PLATONIS dialogos*, & id genus alia, publici iuris fecit; alios autem auctores, VI DIONYSIVM HALICARNASSAEVM *περὶ συνδέσεως ὀνομάτων* h. e. *de colloca-tione nominum*, diligentissime emendatos edidit: sed ipse quoque animum ad scribendum adpulit eaque in lucem protulit, quibus omnibus magnum statuitur ab eruditis pretium. In his eminent *liber eius academicus de exercitationibus rhetoricis ad PHILIPPVM* Lippianum comitem, HERMANNI SIMONIS Lippiani comitis, filium; alius *de amissa dicendi ratione & quomodo ea recuperanda sit*; libri tres *de imitatione oratoria*; libri tres *de diuersa ratione elocutionis rhetoricae de linguae latinae resoluendae ratione*; & hic ipse, qui nunc tertium prodit, *de periodis liber*. Enarrauit praeterea *vitam B. Rhenani, de emendatione ecclesiae; de bello aduersus Turcas perpetuo administrando*, ad Rudolphum II. Imp. *commentarios s. sermones tres*\* vna cum *prologis duobus*, altero *sagato*, altero *loricato* & alia scripsit: sed imperfectum reliquit *lexicon*, quod meditatus fuerat, vir romani sermonis euehendi cupidissimus, opus vtilissimum atque ab eruditis aestimatoribus avidissime expectatum. In quo non litterarum

\* Quos NIC. REVSNERVS Ienae M D LXXXVIII. vna cum libello epitomico, ex tribus illis commentariis delibato, edidit.

sed naturae ordinem sequi, atque integram latinae linguae supellectilem ita disponere atque instruere volebat, ut in compage rerum diuinarum, naturalium stirpium & plantarum, animantium & belluarum, artium ac doctrinarum, hominis atque humanitatis, verba quoque ac sententiarum formulae, naturali quadam consecutione inter se contexta, facile memoriae mandarentur. Quinque nemo esset, qui inchoato summa industria operi, manus admouere auderet; inuentus est IOH. BENTZIVS, genuinus STVRMII discipulus, qui simile quid ederet, nimirum *oratoriae elocutionis thesaurum graeco-latinum*, in LXXVI locos, secundum naturae ordinem distinctum & *duo puta latinitalis compendia*. Etiam *trilingue illud lexicon*, quod cum elegantissima STVRMII praefatione semel atque iterum prodiit, ab eius discipulis collectum est: ita enim suos ad studium de linguis litterisque humanioribus bene merendi pronocauerat. Qui quamquam eos minus probaret, qui ex folis lexicis eloquentes fieri volunt, aut doctrinae alicuius opinionem vulgo sibi conciliare; iuuandam tamen his subsidiis censebat memoriam & succurrendum tironibus, qui quibus verbis atque formulis, quando & quomodo uti debeant, per aetatem atque iudicium scire nequeunt: ideo etiam suis doctissimis praefationibus commendare voluit ANTONII SCHORI *adparatum verborum linguae latinae Ciceronianorum*, & STEPHANI DOLETI *phrases & formulas linguae latinae elegantiores*.

## VII.

Hodie quum paucis oppido praestantissima haec STVRMII monumenta sint cognita; dudum cum IOH. GE. WALCHIO \* viro de elegantioribus litteris optime merito, doctissimus quisque optauit, *ut nouo habitu prodirent, quo ista alumni litterarum vsui familiari esse possint*. Fatendum omnino est, haec studia, a maioribus nostris diligenter exculta, nunc a quibusdam magnopere contemni: culpa eorum magis, qui doce-

))((

re,

\* *Historia crit. lat. ling. cap. XI. §. 9.*

re, quam qui discere ea debebant; quod ii plerique rebus inhaerentes friuolis, atque in gerendis atrociter ob causas vilissimas bellis tempus consumentes, in publicum proferunt, quae bonas artes, aequae ac ille paedagogicus fastus, quo efferre sese solent, etiam in rebus, quas ne intelligunt quidem, contemptui aliorum exponunt. Non tamen exiguus adeo numerus eorum est, qui illis iustum ponentes pretium, maxima arripiunt cupiditate leguntque non minori voluptate, quidquid in iis culti atque utilis ab aliis, maxime maioribus nostris, editum est. Modo igitur typis rursus excrībantur absolutissima STVRMII scripta; non deerunt, qui cupide ea euoluant, & quum inuenerint, quantum iis inest antiquae elegantiae, quantum doctrinae, quantum utilitatis, quantum etiam voluptatis, saepius multumque legendo conterant. Iam an. CIO IO LXXXVI HENR' STROBANDVS, consul Thorunensis, quum laudabili profecto exemplo, scholarum curam eum reipublicae administratione semper coniunxisset, suis sumptibus Thoruni edi curauit *institutiones litteratas s. discendi atque docendi rationem* IIII. tomis comprehensas: quarum tom. I. Sturmiianus propterea dictus, quia exhibet omnium in vsum nouem STVRMII scripta, ad rem scholasticam spectantia; praeterea *epistolarum eius classicarum & academicarum*  $\chi\mu\sigma\tau\iota\sigma\ \mu\epsilon\delta\varsigma$  a IOH° LVD° HAVENREVERTERO confectos, quibus quasi quaedam omnium STVRMII librorum *ἀνακεφαλαιώσις* continetur. Eodem modo STVRMII *praefationes* in vnum corpus collectae inscriptaeque *prolegomena* Tiguri editae sunt: in quibus de dialecticis, de via intelligendi PLATONIS dialogos, de imitando CICERONE, de contentione ERASMVVM inter & LONGOLIVM orta, de verborum ἀναλύσις ac delectu, de lectione CICERONIS, de DEMOSTHENIS atque AESCHINIS discrimine, de dicendi artibus, de historiae utilitate, multa lectu dignissima proponuntur. Huius ipsius, quod scribimus, saeculi tertio anno, Oxoniae cum ROGERY ASCHA-

ASCHAMI epistolis nostri etiam STVRMII ad eum epistolae in lucem denuo protractae sunt; anno quarto vir celeberrimus IOH. GEORG. IOCHIVS, qui hodie sacras litteras Vitembergae docet, noua veste induit STVRMII *linguae latinae resolucendae rationem*, libellum ad comparandam romani sermonis facultatem apprime utilem: duodecimo autem Ienae in publicum iterato processerunt STVRMII *et ceterorum ad ROG. ASCHAMVM nec non alia Angliae lumina, epistolae*, quas recensuit notisque illustrauit vir clarissimus IOH. HENRICVS ACKERVS, qui decimo & quinto anno Rudolstadtii edidit STVRMII *librum academicum de exercitationibus rhetoricis cum florum sparsione*; nec non eiusdem *commentarium in artem poeticam Q. HORATII FLACCI*. Denique ipse anno proxime praeterlapso *in collectione praestantissimorum de imitatione oratoria opusculorum*, STVRMII *de hoc ipso argumento libros III. & iam eius de periodis libellum nouo vestitu ornaui.*

## VIII.

Quem ut pluribus commendem, haud opus esse duco: nihil enim ornatus & perfectius hoc in doctrinae genere se legisse fatebitur, quisquis illum perlustrauerit: neque dubito futurum, ut non deponat, si semel sumserit. Post HERMOGENEM certe vnus STVRMIVS existit, qui de incisorum, membrorum & circumductio- num vel dilatatione vel contractione; de verborum colloca- tione & conformatione & de omnibus, quae ad periodi structuram pertinent, communi omnium doctorum suffragio ita perspicue, ita etiam accurate atque erudite disseruit, ut ex diligenti huius libelli lectione adolescentēs discere possint, cum quomodo optimorum auctorum periodos resoluerent ac verborum positum, nexum membrorum & numerum, omnem eorum ornatum, intueri; tum qua eos ratione imitari, atque ipsi concinne & numerose debeant scribere. Vulgata autem primum est elegantissima haec *de periodis* dissertatio Argentorati CIO L VNA cum DIONYSII HALICARNASSAEI libro *de colloca- tione verborum*. Eam

dem vero, scholis explicatam, iterum emisit VALENT' ERYTHRAEVS, praeclarus ille STVRMII discipulus & collega, cuius merita CASELIVS tanti aestimauit, vt eum secundum a STVRMIO praedicauerit. Quas ERYTHRAEI doctissimas enarrationes, quibus ea, quae adduxit auctor, tabellis delineauit, atque vberius explicauit, propterea simul exire nolui, ne forte moles delicatiora a lectione libri, certe per se plani & distincti, deterreret. Epistolam vero STVRMII, qua IOSIAE RICHELIO permittit, vt suus hic libellus ERYTHRAEI annotationibus auctus, eius ex officina in lucem publicam emitteretur, inferendam putauit, quia Sturmii est & admodum breuis. Ita autem se habet

IOH. STVRMIVS IOSIAE RICHELIO

S. P. D.

*Scripsi, ante annos septendecim, libellum de periodis: Graeci HERMOGENIS doctrinam fere secutus. Et quod reliquis accidit: id etiam huic euenit: vt retractator eum non ederem. Audio ERYTHRAEVM hunc constituisse illustrare exemplis pluribus, id permitto utrique vestrum: vt & ERYTHRAEVS explicet clarius: & tu, Iosia Richeli, e tua officina in lucem emittas lucidiorem. Etsi non legi: quae ab ERYTHRAEO conscripta sunt: tamen scio neque ipsum a mea doctrina digredi longius: & in hoc genere, quod vult, posse efficere. Magis angor, nostrorum discipulorum non bene collocata industria: qui in audiendo diligentes sunt: in stili exercitatione, maius eorum requiro studium. Sed istud vitium commune est omnium academicarum. minus tamen in nostra committendum est: in qua eloquentiae studia florere volumus, at volumus: quantum vero adsequimur: eo nondum contenti esse possumus. itaque elaborandum est: vt quod volumus, tandem adsequamur. Verum quod de dicendi studio conquerimur: idem in morum disciplina accidit: vt pauci vel parentum voluntati: vel praeceptorum respondeant diligentiae. qua in re id est indignissimum: quod qui, ex maioribus nobilitate, aut fortuna familiis ad nos veniant: magis corruptis sunt*



*sunt praediti moribus: quam pauperes & plebei. Sed tamen in hac corruptione morum, disciplinae quaedam ratio tandem constituenda est: ut academia eo nostra perveniat: quo destinata est: ut docti & prudentes: temperantes, a nobis, ut pii quam plurimi prodeant. Bene vale, mi IOSIA Argent. XXIII. Aug. CIO IO LXVII.*

## VIII.

Aliam STVRMII epistolam, nondum editam, libello huic quod addidi, me omnibus, qui Sturmiiana recte aestimare possunt, gratissimum fecisse, nullus dubito. Est enim venuste & ad exemplar veterum scripta, tam bene, ut esse quandoque possit exemplar: & non hoc tantum nomine digna, quae proferatur; verum etiam, quia Sturmiianae scholae instituta, a quorundam reprehensionibus, singulari quidem modestia, ut sapientem decebat auctorem, vindicata in ea leguntur. Communicavit eam nobiscum vir bene merendi studio clarissimus, IOH. FRID. CHRISTIVS, data potestate, eam una cum aliis Sturmiianis aliquando publicandi: pro qua benevolentia ipsi me ad agendas publice gratias valde obstrictum agnosco. Quumque doctissimus vir ipsemet eam describendi taedium haud fugerit, ne alius opera, quod STVRMIUS scripturae compendiis frequenter fuit usus, hinc atque inde erraretur; factum est, ut accuratissimum eius exemplum, ne quidem distinguendi signis immutatis aut omissis, tibi, lector, exhibere possim. Quae autem sit huius epistolae ratio, ipse iam laudatus vir cultissima illa dissertatione, quam superiori anno de consensu bonarum artium, certo eruditionis verae, quae optimates decet, caractere, ad per-illustres WOLZOGENIOS, paternarum virtutum aemulos, emisit, distincte his quidem verbis exposuit. In museo, inquit, nostro est eruditissimi & integerrimi viri IOH. STVRMII, cuius ego scripta maximi facio omnia, elegans epistola, manu eius ad PLAVTVM, forma minuta apud SEB. GRYPHIVM A. O. R. MDLIII editum, diligenter exarata, quam ut pulcherrimam & ea continentem inveni,

*inueni, quae cuius ex illius temporis rationibus obuia non sunt; ita nondum editam esse reor. Scripsit STURMIUS Argentorati nonis Oct. CIO IO LXV. ad BARTH. SIFFERTVM, cui illud PLAVTI exemplar dono obtulerat. Sumta inde PLAVTVM & TERENCEIVM defendendi materia, cum male sanctuli quidam eandem STURMIO molestiam ac BETVLIO circa introductos in scholas poetas ethnicos, crearent. Pulchra est illa quidem defensio, ac longa nimis, ut heic adscribi possit, digna potius, quae, edita mox epistola, plene legatur. Id vero a nobis, ad quos exemplum adcurate descriptum transmittere vellet, iubet expectari.*

## X.

Attigi laudes STURMII & quaedam eius merita commemoravi: omnem vero eius vitae rationem perfectui, non est huius loci. Patre natus fuit WILHELMO STURMIO, viro honesto & litterato CIO IO VII. ipsis calendis Octobris Sleidae: diem obiit supremum Argentorati CIO IO LXXXVIII. octogenario maior, oculorum luminibus aliquamdiu ante amissis. Fuisse mediocriter procerum, facie fusca & viuidia, barba nigra, in senecta totum canum, CRVSIVS, eius discipulus, annal. Sueuic. refert. Plenissime imaginem STURMII descriptam proximis litteris accepimus ab elegantiss. CHRISTIO, cui ex litterarum amore nihil antiquius est, quam ut litteratorum imagines, magna collectas opera, ab oblivione vindicet: dabimus eam, ipsius eius verbis pulcre expressam. *Iob. Sturmii imago est in iconum rariorum censu. Duplici tamen exemplo excusam eam reperiri in nostra effigierum congerie. Alterum princeps est; alterum ex hoc ipso sat probe caelatum a P. AVBRYO ut videtur, caelatore tum temporis Argentinenfi. Equidem prototypon sequar hoc loco, & elegantissimum & fide dignissimum. Pingi fecit virum optimum, praeceptorem suum, Melchior SEBIZVS senior, per artificem, qui sub finem seculi XVI. Argentorati senex egit, celeberrimum, Tobiam STIMMERVM. Deinde picturam illam aere caelato excudendam dedit SEBIZIVS iunior artis eius viro inprimis*

mis perito Iac. ab HEIDEN: qui qua docet adcuratione & linearis picturæ argutia hunc iconismum elaboravit. Pictus est, opinor, Sturmii haud multo minor octogenario, senilis in honesto vultu macies; ampla frons, sed rugosa, proluxa barbae canicies; oculi rugis adductiores, nasus a superciliis depressus, in medio paulum prominens, e summitate rotundior, suavitas oris, cetera decora. Describimus e caelatae imaginis exemplo, quae superius habetur, epigraphen:

IMAGO VIRI CLARISSIMI ET ORATORIS ELOQVENTISSIMI, D. IOHANNIS STVRMII, Argent. Acad. Rectoris quondam meritissimi: singularis honoris & observantiae ergo Viro amplissimo & prudentissimo D. MATTHIAE SCHOEFFLIN, Reipubl. Argent. Consuli dignissimo. dedicata a Iacobo ab Heiden sculptore.

Et in imo, versus elegantes atque concinnos:

SLEIDA dedit patriam: BELGARVM natio clara  
Erudit: fouit GALLIA culta diu.

Inde potens armis me ultro ARGENTINA vocauit:  
Praefecitque suae non sine laude scholae.

Lustra bis octo, annumque, & menses quinque benigne  
Viuerè concessit gratia larga DEI.

INGENII dotes ostendunt scripta: tabella  
Exhibet haec pictor CORPORIS effigiem.

Efficat vt pingar senioris cura SEBIZI  
Qui praeceptoris flagrat amore sui.

MELCHIOR SEBIZIVS Iunior F.

Ceterum repurgatae veritatis propugnatoribus se vtilem semper praebuit socium, etiam quum res eorum summum in discrimen essent adductae. Hinc de corrigendis moribus, rebusque romanis, de amissa CHRISTI doctrina recuperanda ad purpuratorum patrum collegium, ad IAC. SADOLETVM, LATOMVM, & alios scripsit: Wormatiensi colloquio CIO IO XXXI. interfuit: purioris religionis addictos, bonis spoliatos, atque in

exilium eiectos, etiam cum rei suae familiaris detrimento subleuauit: quauquam, quod ex eius cum LVCA OSIANDRO & IOH. PAPPO controuersis patet, cum CALVINO potius sentiret, quam cum LVTHERO, cuius tamen sanctam habuit memoriam. Iniquissima inuidia eius virtuti perpetuo comes fuit: ipse vero hanc & alia infinita mala, quanta etiam exstiterint, magno animo atque incredibili & modestia & constantia non tolerauit modo, sed etiam superauit. Sed haec & reliqua notatu digna qui cognoscere cupit; MELCHIORIS IVNII, successoris STURMII, antea etiam discipuli & collegae, qui facem ab eo sibi traditam eloquentiae & litterarum studiosis magna cum laude praetulit, euoluat & *programma funebre* academiae nomine conscriptum, & *orationem de vita STURMII*, quae in libello reperiuntur, hac inscriptione insignito, *manes STURMII s. epicedia, scripta in obitum summi viri D. IOH. STURMII vna cum parentaliis* Argentor. CIO IO LXXX. edita. *Programma* clariss. ACKERVS epistolis STURMII ad ASCHAMVM adiunxit. confer. praetera celeb. STRVVII *bibliotheca antiqua*; IAC. VERHEIDEN *in vitis theologorum, qui romanum pontificem oppugnaverunt*; & ADAMI *vitae philosophorum*. Pluribus, lector, te non morabor. AONII PALEARII, quo nemo felicius CICERONEM expressit, *orationes, actionem in pontifices romanos & eorum assaetas, epistolas & poemata de immortalitate animorum*, quibus epicureas LVCRETII sententias confutauit, omnia eius opera; dein etiam alia quaedam Sturmiana meditamur propediem proferre. Nobis enim propositum semper fuit, & est hodie, nullam in partem cuiquam nocere & iuuentuti studiosae nonnihil prodesse. Bene vale. Ienae pridie kalend. Sept. CIO IOCC XXVII.

\*

\*

\*

AD



AD  
 ILLUSTRISSIMAM  
 D. D. ELIZABETAM  
 HENRICI VIII. ANGLIAE REGIS  
 FILIAM  
 IOHANNES STURMIVS  
 DE  
 PERIODIS.

**C**VI dono lepidum nouum libellum? inquit Catullus, mollis poëta: veruntamen & verbis, & verborum formis poëta purus: & reuera lepidus poëta. Sed fuit illius carmen ea aetate, & adhuc nostro aeuo est, purum & lepidum: idque docto seculo, & doctis tum multis, atque eruditis vsuque rerum, & disciplinarum doctrina hominibus: meus vero iste libellus, neque purus, neque lepidus est: & paucos inueniet viros contra reprehensores, qui se tueantur. Ingenium enim prope nullum, & ingenii exercitatio minor in eo apparet: aut si etiam appareret: tamen eius est argumenti & consuetudinis atque vsus; qui minime multis placet. Veruntamen agam fidenter: & donabo: & tibi, Elizabetha, illustrissimo exemplo virginalis industriae, & claritudinis mitto: non quod meas tibi velim probare nugas, vt Cornelio Catullus: sed quod haec etiam tibi oratorum & scriptorum in verbis collocandis,

candis, & sententiarum membris instruendis scientia: non solum propter voluptatem aurium, quam sensisti, probetur: sed etiam quod ratione tibi cognita sit & exercitatione comparata. Id ego & ex aliorum relatu & ex Aschami ad me epistola intellexi: cui fidem habeo: cum quia erudite & prudenter scripta fuit: tum quia M. Bucerum testem habuit, qui suo etiam testimonio: hanc ingenii tui laudem comprobavit. Scis ergo, tu, si verus vterque est: magnum & arduum esse numerosum aliquid ita conscribere, vt verbis aptum sit & sententiis congruum: & rebus conueniens: quod posteritas, nec inueniendo queat, nec augendo, nec immutando efficere praestantius. Perfectum enim est, quod temporibus reddi melius non potest. Sed quot superiores attulerunt aetates scriptorum genera? quantum etiam nostra tempora habent gregem male scribentium? in quibus non solum sunt, qui barbare loqui volunt: sed etiam qui sibi volunt placere numerum & concinnitatem: & captant emblemata, vt Albutius Lucilianus, vermiculata: sed temere confuta: pauimento puluerulento: nullo subacto fundamento: tesseralis fractis & lexibus incompotis, vt eiusdem Luciliani Scaeuolae verbis vtar: quales etiam meae sunt lexes: meaeque tesserae & pauimenta. Non enim scribo haec, vt quenquam vituperem: sed quod doleam dicendi rationem talem esse: vt eam pauci assequantur. contra etiam delecter talem esse, tamque admirabilem, vt  
nisi

nisi a maximae naturae hominibus longa consuetudine & perfecta ratione: neque retineri queat, neque comparari. Quo magis ego laudo Aschami in instituendo consilium; & tuam in intelligendo & assequendo industriam, neque dubium mihi est: quin ubi haec industria est: ibi lateat egregia quaedam indoles maximarum cogitationum. Itaque ego hunc librum nunc, tuo nitens, atque confidens patrocinio, istuc vobis mitto: qui est de periodis, & de comprehensionibus oratorum: quam partem elocutionis fateor parvam esse praeceptione: sed exercitatione & usu magnam, scriberem ingentem, si non viderer mea amare: σοφιστικῶν διατριβῶν: vt apud Platonem Sophistae faciunt. Quamobrem non placet in hoc loco: neque te laudare vt ne adulari: neque hanc artem commendare, ne me meaque amare ipse videar: sed placet hanc rationem omnem breuiter explicare: idque tibi, Elizabeta, Principi virgini. neque enim magis quenquam decet oratio ornata, quam regios principesque ordines: neque conuenientius componi oratio pura, & elegans potest: quam cum puella virginalis pudicitiae & amabilium morum. neque eo mitto, vt de doceam maiora quam docuerit Aschamus: sed vt ipsa iudices: consentiant ne haec cum tuis, & oratorum praeceptionibus: vt si tibi placuisse videantur: caeteri propter auctoritatem non improbent.

\* \* \* \* \*

CAP.

## CAPITA HVIVS LIBRI.

- Cap. I. *Quid incisum, quid membrum, quid ambitus.*  
 II. *Tres periodi definitiones.*  
 III. *Causae periodorum, earumque diuisio.*  
 IIII. *Quomodo metienda sint incisa, & membra comprehensio-  
 num.*  
 V. *De periodorum dilatatione.*  
 VI. *De reliquarum comprehensio-  
 num dilatatione.*  
 VII. *De periodis trium membrorum dilatandis.*  
 VIII. *De quatuor membrorum periodis dilatandis.*  
 VIII. *De plurium, quam quatuor membrorum com-  
 prehensionibus.*  
 X. *De productione spiritus, quod ab Hermogene  
 πνεῦμα appellatur.*  
 XI. *De periodorum adiunctionibus.*  
 XII. *Rursus de periodorum diuisione, & primum  
 de partitione Aristotelis.*  
 XIII. *De compositione verborum.*  
 XIII. *De primo compositionis principio, hoc est  
 περὶ συζυγίας.*  
 XV. *De diphthongis.*  
 XVI. *De consonantibus: & primum de semiuocali-  
 bus quatuor, & de Σ, quod a Grammaticis ap-  
 pellatum est μονόδικον.*  
 XVII. *De consonantibus duplicibus.*  
 XVIII. *De consonantibus mutis.*  
 XVIII. *De syllabarum, & breuium, & longarum  
 production.*  
 XX. *De pedibus, & numero oratorio.*  
 XXI. *De conformatione verborum: quam Graeci  
 σχηματισμὸν vocant.*  
 XXII. *De periodorum postrema diuisione.*  
 XXIII. *De transfiguratione, quam vocant σχη-  
 ματισμὸν.*  
 XXIII. *De transformatione periodorum.*  
 XXV. *De decore retinendo in periodis, & in elocu-  
 tione, & de dicendi generibus.*

CAP. I.





CAP. I.

QVID INCISVM, QVID MEMBRVM,  
QVID AMBITVS.

§. I.

**I**ncisum, quod Graeci κόμμα vocant, inde est appellatum: quod inciso membro ab eodem aliquubi sit resectum.

§. II. Membrum vero, κῶλον ab iisdem nominatum, propterea dictum est: quod integri sui corporis pars sit.

§. III. Quod corpus in oratione Graeci περίοδον, Latini tum ambitum & circuitum, secuti graeci nominis periodi originem: tum continuationem, & circumscriptiōnem, & comprehensionem nominant: propter alia vocabula eiusdem naturae: ut sunt περιγραφή, περίληψις, περιβολή.

§. IIII. Omnia haec tria post Herodotum Thuriūm, historiae primum scriptorem: & ante Aristotelem, inter Philosophos primum dicendi magistrum, a Sophistis graecis ab aliis rebus mutata, ad orationem & sententiarum complexiones atque tractationes sunt translata.

§. V. Non enim ut nunc, ita primi mortales, aut locuti sunt, aut scripserunt: & verisimile est, naturam ab incisis atque membris principium sumfisse. Cuiusmodi est ille Virgilianus pastoris compositus sermo:

A

Dic

*Dic mihi Damaeta cuium pecus : an Meliboci ?*

*Non verum Aegonis : nuper mihi tradidit Aegon.*

Naturalis etiam iratorum hominum hic sermo est : eoque apud Terentium Simo membratim & incisim : *Vos isthaec intro auferte : abite : Sosta, ades dum : paucis, te volo.*

§. VI. Neque in huiusmodi rebus solum hoc genus inuenitur compositionis, verum etiam in re grauiori. Aratus :

*ἐκ διὸς ἀρχώμεθα τὸν ἐδέποι' ἀνδρες ἑώμεν  
ἀρῆστον, μετὰ δὲ διὸς πᾶσαι μὲν αἰγυιά.*

Et credo hoc Virgilium versu monitum esse, vt pastorī confidenti hoc principium daret,

*A Ioue principium Musae, Iouis omnia plena.*

Et alterum, quod additum est, eodem modo est collocatum,

*Ille colit terras, illi mea carmina curae.*

§. VII. Post hunc quasi naturalem loquentis populī accesserunt scriptores, qui arte nondum reperta, artem tamen captantes : sed nec dum in circumscriptionibus modum tenentes : colligare inter se sententias artificiosē conati sunt, earumque partes, quas membra & incisa appellauimus contexere. Hoc primum genus orationis compositae, Aristoteles λέξιν εἰρομένην : propterea fortasse, quod eius partes ita connexae sunt, vt non ante rebus atque sententiis finem imponat, quam ipsae res finiantur : eoque appellatum est hoc genus ἀόριστον καὶ ἀπέραντον : quod infinitum sit & termino moderato careat.

§. VIII. Secuti sunt postea homines praecceptis eruditi, graeci Sophistae, vt Georgias & Alcidamas fuisse dicuntur : & vt Isocratem fecisse videmus : qui & primorum hominum dissolutum sermonem colligarunt, & illi alteri orationis generi infinito terminum statuerunt paucioribus comprehensum spatij : vt alterum,

quod

quod primum fuit, ornatius, & alterum, quod secundum, moderatius, & utrumque inuicem fieret. Ex quo principio periodus & nata & inuenta & perfecta est, de qua mox differemus.

§. VIII. Et quanquam hoc genus circumscriptionum proprium est oratorum, accommodatum auri- bus eorum, qui audiunt: tamen hi ipsi oratores saepe incisim atque membratim loquuntur. Saepe etiam ambitum extra sua septa spatium permittunt: tamen accommodatae ad vocis & spiritus & perspicuitatis moderationem.

§. X. Ex qua nota est illa Rhetorum diuisio, prima ἢ ἐν κόλλοις καὶ κόμμασι λέξις, altera ἢ ἐν περιόδοις, tertia περιοδική καὶ πνευματική.

§. XI. Quae quidem comprehensionum genera sunt oratorum. Poetarum enim & historicorum, praefertim primorum scriptorum, alia est ratio.

§. XII. Ac tamen incisim & membra circumscriptionum sint, propter quas ita nominatae sunt: tamen etiam separata ab his nomen suum retinent. Itaque incisim sunt, tamen extra comprehensionem sint: ἐρημα, ἀκηόαυτε, ἔχουτε, κίβουτε. Et incisio- nem illa habent, euasit, erupit, excessit. Item, *lusisti satis, edisti satis, atque bibisti.* Sic membra vocantur illa apud Ciceronem: *nonae sunt hodie sextiles: hora nona conuenire cepistis: hunc diem iam ne enumerant quidem: decem dies sunt ante ludos Votiuos: hos Cn. Pompeius facturus est: hi ludi dies quidecim auferent: deinde continuo Romani consequentur.*

§. XIII. Sed haec omnia intelligentur melius, postquam inde a definitione, quid sit ambitus, profecti perfecti erimus omnes eius & partes & genera, & varietates atque commutationes.

CAP. II.  
TRES PERIODI DEFINITIONES.

§. I.

**E**Rgo vt optimum, & vetustissimum in iis, qui hodie exstant, scriptoribus, auctorem sequamur: proponemus definitionem Aristotelis, qui scribit, *περίοδον εἶναι λέξιν ἔχουσαν ἀρχὴν καὶ τελευτὴν καὶ αὐτὴν καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον*. Ex quo intelligitur, ambitum esse compositae dictionis genus: in quo principium sit & finis & pulchra magnitudo. Sed inter hoc principium & hunc finem moderatum spatium esse oportet, hoc est, iustam magnitudinem, & ab ipso ambitu perfici atque absolui, quod in eo est comprehensum.

§. II. Hermogenes in sua definitione intra illa duo Aristotelis extrema argumentum complectitur, eiusque conclusionem: scribit enim, *ὅτι περίοδος ἐστὶν ἢ ἀπαρτίξεσθαι τὸ ἐπιχείρημα καὶ συνάγεσθαι*. Quod si verum est: oportet periodum esse argumenti, & conclusionis perfectam comprehensionem: in quo primum est, vt perficiatur argumentatio: alterum, vt eodem in loco, in eademque verborum circumductione. Itaque non satis est *ἀπαρτίξεν τὸ ἐπιχείρημα*, hoc est, perficere, quod probare instituit, sed etiam *συνάγειν* oportet, hoc est, omnes argumentationis sententias quasi vnum in locum compellere, & in eadem concludere omnia conuersione.

§. III. Ex quo altera definitio ab eodem posita, eodemque pertinens, intelligitur, quae est. *Περίοδος ἐστὶν ἢ τὸ ὅλον ἐπιχειρήματος ἀναγκαστικὴ συνόδος καὶ κλεις, τρόπον τινά.*

§. IIII. Sed inter Aristotelis definitionem, quam primo loco posui, & duas istas Hermogenis, quam poste-

posteriori loco, hoc interest, quod Hermogenes vnum genus subiecit sententiarum circumscriptionibus: argumenta scilicet, & eorum conclusiones. Aristoteles autem omnem sententiae complectitur circuitum, id quod non solum ex definitionibus animaduertitur, sed intelligitur etiam in eius exemplis, vt & in illa Isocratis apparet, quam *δηρημένην* Aristoteles vocat: *Πολλάκις ἐδάμασα τῶν τὰς πανηγύρεις συναγαγόντων καὶ τὲς γυμνικὰς ἀγῶνας κατασησάντων*: & vt videtur in illa altera, quae est *ἀντικειμένη* *Συμβαίνει πολλάκις ἐν ταῖς πόλεσι καὶ τὲς Φρονίμους ἀτυχεῖν καὶ τὲς ἄφρονας κατορθῶν*. In ambobus nulla est argumenti conclusio, sed tantum sententiae absolutio. Nisi idcirco videatur hic argumentatio esse: quod rationes interpositae quaedam sint, & consistant ex contrariis.

§. V. Hanc tamen ego causam esse puto, quamobrem Demetrius Phalereus definitionem fecerit Aristotelis doctrinae consentaneam: *περίοδος* enim inquit, *σύσμιμά ἐστιν ἐκ κῶλων ἢ κομμάτων εὐκαταστροφῶν πρὸς τὴν διάνοιαν τὴν ὑποκειμένην ἀπηρτισμένων*. Hoc est, ambitus, compositio est membrorum & incisorum volubilium: quae ad sententiam propositam sint perfecte accommodata.

§. VI. Quanquam & Hermogenes non immemor fuit definitionis Aristotelis. Nam duo ponit comprehensionum genera: vnum verum & proprium, in quo argumenti est conclusio, quod sua definitio notatur: alterum non verum, circumductum tamen: quod etiam Aristotelis definitione continetur, qui ambitum esse scribit, omnem sententiae inchoationem, atque perfectionem, quae quidem iustam habeat magnitudinem.

CAP. III.  
CAVSSAE PERIODORVM EARVM-  
QVE DIVISIO.

*Causae periodorum sunt quatuor, materia, efficiens, finis, forma.*

§. I.

**M**ateria igitur verae comprehensionis, vt Hermogeni placet, argumentum est: vt Aristoteli, quaeuis sententia, quem autorem sequemur & statuemus ambitum, non materia, sed verborum coitione esse metiendum. Efficitur enim hoc genus dictionis verborum consecutione & collocatione: eamque causam eius placet constituere, a qua efficiatur.

§. II. Inuenta vero ipsa est duas praecipue ob causas, primum propter perspicuitatem atque memoriam, deinde suauitatem. Verborum enim artificiosa & circumducta terminatione absoluitur sententia: ita, vt aures numerose, & cum voluptate impleantur, & animus auscultando atque cognoscendo possit intelligenter consistere & eum oratore veluti interspirare. Quae causa est, quod Aristoteles scribit, *ἡδεῖα δὲ ἢ τοιαύτη λέξις καὶ ἐνμαθῆς.*

§. III. Formae periodorum partium numero sunt nominatae. Aliae enim *μονόκωλοι* sunt adpellatae, quod vnicō membro claudantur: aliae *δύκωλοι*, quod duobus: aliae *τρίκωλοι*, quod tribus: aliae *τετράκωλοι*, quod quatuor. Atque hoc numero scriptores graeci istam partitionem perfectam esse volunt.

§. IIII. *Μονόκωλος*, quae vnus est membri, ab Aristotele *ἁφελῆς*, hoc est, simplex vocatur: propterea quod vno membro inchoetur, eodemque perficiatur oratio. cuius exemplum Demetrius illam proponit, *ἠεροῦτε ἀλικαρνασσῆος ἰσορῆς ἀπόδειξις ἡδε*. Hic longitudine & reflexione metitur hoc genus comprehension-

prehensionum. Talis est etiam illa Demosthenis contra Midiam, & apertio- rem habet reflexionem, *τί ἐν σὺ δεινότερα, ἢ τῶν ἄλλων εἰς ἕκαστος πεπονθὼς ἀγανακτεῖς.* Talis apud Latinos illa Ciceronis, *de Cn. Pompeio propugnatore & custode imperii interficiendo consilia imitantur.* Item illa, *tametsi incisis dilatata sit. Sperant, sibi Syllanum clarum virum sine collega, te sine consule, rempubl. sine praesidio abiici posse.* Et illa pro Cluentio, *similis in Bulbo, in Gutta, in aliis nonnullis, suspicio consistebat.*

§. V. Haec omnia simplicia ab Aristotele propterea nominantur, quod vno membro inchoentur, atque perficiantur. Hermogenes etiam illam simplicem, & ex vno membro tractam audeat adpellare, *ἔτα ἐκ αἰχλήνεδε, εἰ μὴδ' αὖ πάθειτ' ἄν, εἰ δύναιτ' ἐκένος, τῶντα ποιῆσαι, καιρὸν ἔχοντες ἔτολμήσετε,* cum tamen magis duorum membrorum esse videatur.

§. VI. Sed *δίκωλοι*, hoc est, duorum membrorum sunt, in quibus principium habet *πρότασιν*, hoc est, propositionem vnius membri & finis reflexionem, hoc est, *ἀπόδοσιν* alterius membri: cuiusmodi sunt illae Aeschinis contra Demosthenem, *ὁ γὰρ μισότεκνος, καὶ πατήρ πονηρός. ἐκ ἂν γένοιτο δημοαγωγός χρησός.* *Οὐδὲ ὁ τὰ φίλτατα καὶ ὀκειότατα σώματα μὴ σέργων. ἐδέποτε ὑμῶς περὶ πλείονος ποιήσαυτο τὲς ἀλλοτρίους.* *Οὐδὲ γε ὁ ἴδια πονηρός. ἐκ ἂν πότε γένοιτο δημοσία χρησός.* *Οὐδὲ ὄσις ἐσιν οἴκοι Φᾶυλος. ἐδέποτε ἦν ἐν μακεδονίᾳ κατὰ τὴν πρεσβείαν καλὸς καγαδός.* Haecenus quatuor comprehensiones duorum membrorum, quas concludit tandem simplici periodo, *ἔ γὰρ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν τόπον μόνον μετήλλαξε.*

§. VII. Sic illae Ciceronis, *non tam insolens: qui locum me esse dicam. Non tam incredulus: qui Mi-*

neruam sororem Iouis meam esse sororem existimem. Sed tamen ego mihi sororem virginem adscisco: tu tuam sororem virginem non fuisti. Sed vide ne tu te debeas Iouem dicere: quod tu iure eandem sororem & uxorem appellare possis. Duorum etiam est membrorum illa Isocratis, εἰδὲς γὰρ ἡμῶν ἔτως αἰνίζεται τὲς οἰκίας ὡς ἐκεῖνοι τὲς ἐλευθέρους κολάζουσιν.

§. VIII. Trium membrorum est, πρῶτον μὲν, ὡς ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς εὐχομαι πάσιν καὶ πάσαις ὄσσην εὐνοίαν ἔχων διατελῶ, τῇ τε πόλει, καὶ πᾶσιν ὑμῶν τοσαύτην ὑπάρξαι μοι παρ' ὑμῶν εἰς τετὸν τὸν ἀγῶνα. Talis etiam illa Ciceronis, sed breuior, contra Rullum, Videte, quantum intervallum interiectum sit: inter maiorum nostrorum consilia: & inter istorum hominum dementiam. Et illa pro Plancio: Etenim iudices, cum omnibus virtutibus me affectum esse cupiam: tum nihil est, quod malim: quam me & gratum esse & videri. Et Isocratis, ἔτοι μὲν ἔν' εἰς λέληθασιν ὅτι τέτρες ἐπαίνουσι ὧν ἐγγύς αὐτοὶ τυγχάνουσιν ὄντες.

§. VIII. Quatuor membra habet illa comprehensio: in principio orationis pro Cecinna, si quantum in foro atque iudiciis impudentia valeret: non minus in causa cederet A. Cecinna S. Ebutii impudentiae: quantum in vi facienda cessit audaciae. Apud Graecos illud notum est, & vulgatum exemplum complexionis quadripartitae, ἐν μὲν τῷ γραῖσαι, μηδὲνα εἶναι ἀτελεῖν: τὲς ἔχοντας ἀφείλετο τὴν ἀτέλειαν ἐν δὲ τῷ προσγραῖσαι, μήδε τὸ λοιπὸν ἐξεῖναι δέναι, τὸ δέναι ὑμῖν ἐξεῖναι. Apud Ciceronem etiam illa pro Plancio quatuor membrorum est: Sed ego hoc meis ponderibus examinabo: non solum quid cuique debeam: sed quid cuique intersit: & quid a me cuiusque tempus reposcat. Sic Isocrates καὶ γὰρ θεάματα πλεῖστα καὶ κἀκείνη κέκτηται.



κέντηται τὰ μὲν ταῖς δαπάναις ὑπερβάλλοντα·  
τὰ δὲ κατὰ τέχναις εὐδοκιμῆντα· τὰ δὲ ἀμφοτέροις  
τέτοις διαφέροντα. Illa eiusdem breuior, τοιγαρῶν  
τὰ μὲν ἔχει τὰ δὲ μέλει τοῖς δ' ἐπιβλέουσι δικαίως  
ἀπάντων ἡμῶν καταπεφρονηκώς.

## CAP. III.

QUOMODO METIENDA SINT INCISA ET  
MEMBRA COMPREHENSIONVM.

## §. I.

**H**Actenus exempla dedimus pura & simplicia cir-  
cumscriptionum: sequitur pars altera doctri-  
nae, quae est de varietate & commutatione: in qua  
primum spectanda est magnitudo singulorum. Sed  
priusquam ea omnia explicemus: cognoscendum  
est de incisif & membris, quomodo sint utraque  
metienda.

§. II. Incisum duobus iudicari solet. Primum  
syllabarum numero, extra comprehensionem. Nam  
omne id genus sententiarum, quod nullo ambitu  
verborum continetur, & intra octauam syllabam  
complectitur, incisum est: *ut veni, vidi, vici. Euasit,  
erupit, excessit, εἰρηκα, ἀκηκόατε, ἔχετε, κρίνετε.*  
Hoc genus incisif etiam Heriogenis est. Quan-  
quam ille incisum ultra tertiam & quartam syllabam  
vult extendi.

§. III. Alterum genus incisif est Quintiliani, quod  
ad membrum pertinet, & sensum expletum habet,  
sed non numerum: cuius tale ponit exemplum: *dixi-  
mus, testes dare volumus.* Hoc auctore incisum est,  
*diximus*, abstractum a sui totius perfectione, quod  
est, *testes dare volumus.*

§. IV. Quod ab hoc numero syllabarum produci-  
tur vsque ad longitudinem carminis hexametri,  
membrum est: *ut aguntur certissima pop. Rom. vecti-  
galia:*

*galia. Item, quis id hoc tempore inficiari possit? talia sunt etiam illa poetarum;*

*Et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi?*

*Et, Anna soror, quae me suspensam in somnia terrent?*

§. V. Sed non solum membrum a periodo separatum inuenitur, verum etiam vt incisum membrum pars esse dicitur; sic membrum quoque comprehensionis. Quod membrum cum in ea inuenitur; numeros debet habere plenos: etiamsi non plenam sententiam, aut etiamsi intra octauam consistat syllabam. Numerus enim binis absolui potest pedibus, & syllabis quinis, vt, *riste Apollo. Sic etiam magis senis, & septenis, vt,*

*Flumina praetereunt, puluis & umbra sumus.*

Ergo pro membris habentur illa in defensione Murenae, *cupidissimum ocii: studiosissimum bonorum: acerbissimum contra seditionem: fortissimum in bello: inimicissimum huic coniurationi.* Quae omnia hac continentur circumscriptione. *Quem ego vobis, si quid habet, aut momenti commendatio: aut auctoritatis confirmatio mea: consul consulem, iudices, ita commendo: ut cupidissimum ocii, studiosissimum bonorum: acerrimum contra seditionem: fortissimum in bello: inimicissimum huic coniurationi, quae nunc rempubl. labefactat, futurum esse promittam & spondeam.*

§. VI. Sed de horum omnium dicendum est, & productione & contractione. Hermogenes produci incisum vult a quarta syllaba vsque ad sextam: quo auctore, primum haec sunt incisa, *veni, vidi, vici.* Item etiam illa, *exclusit, reuocat, redeam.* Et illa, *lulistis satis, edistis satis, bibistis satis:* cuiusmodi etiam sunt & *βίος βραχὺς, ἢ δὲ τέρχυν μακρόν, ἢ δὲ μακρὸς ὄξυς.* Quanquam paulo magis sunt dilata, vt etiam illa, *infruit accusatores, huius exitium exoptat;* quae ad octauam & nonam vsque syllabam perueniunt. Ex his etiam intelligitur, quomodo fieri debeat contractio, cum sententiae rediguntur in syllabas pauciores, qui-

nas,

nas, quaternas, ternas, binas etiam, qui sunt numeri minorum, incisorum.

§. VII. Quae vero sine sententiae siue verborum collocationes ultra octauam syllabam & nonam extenduntur, membra sunt: praesertim in comprehensionibus, ut est illud vndecim syllabarum membrum extra comprehensionem, *quod erat odium dii immortales!* Quod genus cum explicatur vsque ad magnitudinem versus Hexametri ab Hermog. *κῶλον ὁρθόν*, hoc est, membrum rectum & *τεταμμένον*, explicatum, nominatur: cuiusmodi est, *quam grauis, atque incredibilis arrogantia?* & quale illud etiam est, *quorum ego de sententia non debeo disputare.*

§. VIII. Quod vero ultra hunc modum extenditur, id *ἡνωτοτέρες* est ab eodem Hermogene adpellatum: quod nos docendi causa membrum oblongum nominemus aut productum, ut, *Italiae conspectus ad eam rem ab isto delectus est*, ut etiam illud: *iam vero virtuti Cn. Pompeii quae potest ratio par inueniri?*

§. VIII. Hac ratione incisa & membra, cum separata a comprehensionibus sunt, metienda esse existimo. Sed quia seruire non est oratoris iudicium: neque linguae libertates syllabarum numero astringit: & quia res non syllabis, sed verborum potestate comprehendendi & exprimi volunt: saepe fit, ut membrum inciso non sit longius: & incisum non breuius membro. In quibus illa est tenenda regula: *Quae cum caeteris mixta inueniantur: pro iisdem sunt habenda.* Hoc est, ubi incisum aliquid dicitur, etiamsi aliqua membra incidant breuiora: tamen pro incisis possunt numerari, si membratim, incisa pro membris metienda. Quamquam non solum incisorum & membrorum est dilatatio & contractio: verum etiam comprehensionum: de quibus deinceps dicamus.

## CAP. V.

DE

## PERIODORVM DILATATIONE.

## §. I.

**P**eriodi igitur, quae propter integritatem vnius membri atque sententiae, eiusque reflexionem continuatam, oratoris voce atque sono *μονόκωλος* est adpellata, primum proponamus exemplum atque formam, quae simplicissima esse videtur.

§. II. Membrum rectum est illud contra Catilinam, *veruntamen quid sibi isti miseri volunt? Alterum quod insequitur oblongum, num suas secum mulierculas in castra sunt ducturi?* tertium periodum habet *μονόκωλον*, quemadmodum autem illis carere poterunt *his praesertim noctibus*: nam quia addidit, *his praesertim noctibus*, aperta reflexio est, quam in vno membro esse oportet: quod quidem sit periodicum.

§. III. Fit autem huiusmodi reflexio, vel distinctione verborum, vt, *multa super Priamo rogitans: super Hectore multa*, vel interiectione, vt *iam sunt id, quod cum summo furore cupiunt, adepti*. Hoc posterius, tamen si duas sententias habere videatur: tamen compositione vno membro est continuatum: propositum enim a nobis est, periodos, hoc est, omne genus comprehensionum, non sententiis iudicari aut confici, sed verborum connexione.

§. IV. Sed difficile saepe est iudicare, membrum ne sit, an comprehensio; saepe etiam vnius ne sit, an plurimum membrorum ambitus, vt illud, quod modo propositum fuit: *iam sunt id, quod cum summo furore cupiunt, adepti*: vnius membri iudicamus esse circumductionem, propter traiectionem verbi, & consecutionem totius sententiae; cum tamen duorum videri possit. Illud vero vix circumscriptionem habere videtur, non longitudine, sed rectitudine verborum,

mere-

*meretur hanc curam longa mea charitas. Talis est etiam, est mihi cum illo non sane paterna amicitia.* Vtrumque periodicum est, compositione ex pluribus vnum factum. Sed vt contractio obstat legentium iudicio, sic etiam verborum distinctio: vt in illo, *hoc fides, hoc etiam dignitas postulat*: si scripsisset, *hoc fides postulat*: *hoc etiam postulat dignitas*, duo confecisset membra: si vero, *hoc fides atque dignitas postulat*, membrum fuisset vnicum, sed deductis atque incisis verbis, periodum fecit e duobus membris verbi traiectione simplicem: incisione interpunctam.

§. V. Haec difficultas iudicandi etiam propter communionem societatemque vicinorum & proximorum inter se nascitur incisorum & membrorum. Haec enim incisa esse & caesim dicta a Crasso Cicero est testis: *missos faciant patronos, ipsi prodeant.* De posteriori inciso non est ambiguum, at primum potuit videri membrum. Cicero pro inciso habet propter vicinum incisum, & quia incisum ad octauam vsque syllabam protrahitur. Itaque illa etiam eodem in loco Ciceroni sunt incisa, propter interpirationem: *domus tibi deerat? at habebas: pecunia superabas? at egebas*: sed in illa in sequenti comprehensione, *quem quasi nostrum fefellit: ita vos esse facturos?* Vtrumque pro membro Cicero dimensus est, cum octauam syllabam neutrum superet. Quae causa est? quoniam continuatio duorum est, cum reflexione & distinctione verborum; periodus est, cuius partes praecipuae non incisa sunt, sed membra. Quanquam saepe multa incisa suis interuallis membrum vnicum efficiant, propter verborum, vt Cicero inquit, crepidinem: vt, *depressam, caecam, iacentem domum.* Pluribus haecenus incisionibus membrum confectum: sequitur reditus & perfectio sententiae, *quam te & fortunas tuas aestimasti.*

§. VI. Iam illa Ciceronis ad vxorem Terentiam trium membrorum: *si quid haberem: quod ad te scriberem: facerem id, & pluribus verbis, & saepius.* Principium duo

duo membra habet duobus paria incis: finis vnicum, utroque membro prolixius: interpunctum tamen incisionibus, ut plurium partium esse videatur. Quod vero sequitur, membrum est, comprehensionem habens duarum sententiarum: *nunc, quae sint negotia, vides.* Addita huic est complexio duobus membris, *ego autem quomodo sim affectus: ex Lepta & Trebatio poteris cognoscere.* At postremum propter incisionem dubium videri posset, cum tamen comprehensione & circuito sit vnicum. *Tu fac, ut tuam & Tulliae valetudinem cures.* Brevium incisorum aut verborum praepositiones comprehensionem faciunt volubilitatem & magis rotundam.

§. VII. Ut autem clarius omnia proponantur, redeamus eo, unde principium sumtum est: membrum est, *valetudinem tuam cura diligenter.* Illud vero etiam membrum, sed periodicum; *tabellarios mihi velim quam primum remittas.* Propter vnius enim verbi interpositionem reflexionem manifestam habet. Etiam illud circumflexum est: sed longius additione, quam Graeci *πρός Θεω* nominant, ad finem facta, *reddita mihi iam tandem sunt a Caesare litterae, satis liberales:* nam additis duobus verbis, *satis liberales,* animadvertitur circuitus. Illud praepositione inflexum est, quam *πρός Θεω* nominant, *tu fac, tuam & Tulliae valetudinem cures.* Tale etiam est, *vos videte, quid aliae faciunt isto loco feminae.* Illud interpositione est circumductum, *domus ut propugnacula habeat, Philotimo dicetis.*

§. VIII. Omnia eo ad iudicandum reuocanda sunt, ut praepositiones & postpositiones incis brevioribus factae, non membrum impleant: sed appendatur longioribus: & membra decurtata, neque pro incis habeantur, neque tollant naturam & nomen periodi. Non enim magis nomen suum amittunt, quam homo parvus aut gracilis hominis vocabulum. Ergo duobus  
membris

membris confectus ambitus est, *si quid haberem: id ad te mitterem.* Tales etiam sunt apud Plinium: *sed hoc ipsum amantis est: non onerare eum laudibus.* Si latior scena: *Et corona diffusior.* Nihil peccat: nisi quod nihil peccat. Ille quidem praestitit: quod rogabatur. Quamquam magis periodica essent utraque, si scripsisset, ille quidem praestitit, quod rogabatur.

§. VIII. In Cluentiana causa & in illa venusta verborum atque sententiarum compositione, breuissima est: attamen periodus duorum membrorum. *Vos additis de eo: in quem iudices non estis.* Quod vero sequitur breuitate aequale incisum, membrum est, & propter inflexionem, incisum, periodo simile, *de eo, quem non videtis.* Longiora quae addita sunt, & tamen vnius generis, *de eo, quem odisse non potestis: de eo, qui Et naturae Et legibus satis fecit.*

## CAP. VI.

DE

RELIQVAVRM COMPREHENSIONVM  
DILATATIONE.

§. I.

**A**Tque haec de vnius membri explicatione, quae vel simplici membro, vel circumductione continetur: de periodi etiam duorum membrorum contractione. Nunc de reliquarum periodorum protractione & commutatione dicendum. Sed ut haec ratio melius intelligatur, repetenda ex Aristotele & Hermogene partitio quaedam est, qua omnis comprehensio principium habet & finem, ut est apud Aristotelem. Atque id principium Hermogenes *πρότερον*, finem *ἀπώτερον* nominat.

§. II. Fit igitur, ut aliquando in periodis aperta sit propositio, & disiunctus reditus: ut in diuinatione, *quo ego argumento sperabam hanc a me molestiam posse dimoueri: id mihi erat aduersarium maxime.* Talis est etiam,

τὸ

τὸ γὰρ εἶναι πρᾶττεν παρὰ τὴν ἀξίαν ἀφορμὴ τῆς κακῶς φροσῆν τοῖς ἀνοήτοις γίνεται.

§. III. Aliquando obscuratur reditus aliquo, siue ὑπερβάτῳ siue ἐπεμβολῇ, siue aliqua alia ἐπιενθέσει: vt, iudicium culpa atque dedecore etiam censorium nomen, quod asperius antea populo videri solebat, id nunc poscitur. Implicatione verborum non solum reditus obscuratus est, sed etiam occultata comprehensionis forma, quae est δίκωλος.

§. IIII. In omni hac obscuritate retinenda sunt semper illa, de quibus dictum est. His enim omnis continetur ratio variandi, praepositio, postpositio, interpositio: atque etiam mixtura tum verborum tum sententiarum. Saepe enim fit, vt ex quatuor membris tria, & ex tribus duo, & ex duobus vnum fiat. Duorum enim membrorum est complexio in eadem diuinatione, quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, auaritia in rapinis, superbia in contumeliis efficere potuisset: eas omnes in hoc vno praetore per triennium pertulisse. Ex pluribus rebus atque sententiis δίκωλος periodus est facta, non natura rerum, sed verborum, rerumque textura & collocatione: quae semper caussa est formae in periodo. Potuit enim ex duobus tria efficere Cicero, vt, quas res luxuries, crudelitas, auaritia efficere potuisset: in flagitiis, suppliciis, rapinis: eas omnes sese hoc vno praetore per triennium pertulisse. Sed coniunctione & mixtura duorum vnum fecit principium, siue vnam propositionem longiorem reuersione: quod genus periodi μέγροῦ appellatur, cuius contrarium est μικρόκωλον in quo exitus prolixior; vt, Eubulides est Grossus Centuperinus: homo, cum virtute, & nobilitate domus suae, tum etiam pecunia princeps. Finis adeo extenditur, vt dubium sit, duorum ne, an vnus sit membri, cum tamen periodus sit δίκωλος.

CAP.



## CAP. VII.

DE

PERIODIS TRIVM MEMBRORVM  
DILATANDIS.

## §. I.

**Q**Vae trium membrorum sunt, τριῶλοι appella-  
tae periodi, eae maiorem varietatem habent.  
Nam vel duorum membrorum propositio est, & redi-  
tus membri vnus; vt, *hoc vere recens edictum Decii  
Bruti: quod paulo ante propositum est: certe silentio non  
potest praeteriri.* Et qualis illa Demosthenis, ὡς ἐν  
ἐκείνους μὲν ὀφέλει τοῖς ὑπὲρ αὐτῆ πεπολιτευμένοις  
χάρις· ὑμῖν δὲ δίκην προσήκει λαβεῖν. Haecenus  
propositio duorum membrorum: sequitur reddito  
vnus, τῆτο ἐχὶ νῦν ὀρῶ τὸν καιρὸν τῆ λέγειν.

§. II. Contra vero, principium vnus est membri, &  
finis duorum: vt, *quare quid habent eorum inimicitiae  
periculi: quorum animos iam ante habueris inimicos  
ἔσθ' inuidos: quam vllas inimicitias susceperis?* Item,  
Ἐγὼ μὲν δὴ τοιαύτη συμβεβίακα τύχη· καὶ τόλ'  
ἂν ἔχων ἕτερα ἐπέειπεν περὶ αὐτῆς παραλείπω· φυ-  
λακτόμενος τὸ λυπῆσαι τινα ἐν οἷς σεμνήνομαι.

§. III. Aliquando in duobus primis membris perfi-  
citur reflexio, cum appendicula tertii membri: vt in  
quinto contra Verrem libro, *cum enim a ciuitatibus  
pro frumento pecuniam exigebas: vnde erat frumen-  
tum, quod Romam mitteres? si tu id omne inclusum  
ἔσθ' compressum possidebas.*

§. IIII. Saepe continuantur tria membra, vt vix  
periodus appareat: vt libro secundo de diuinatione, *fac  
dare deos; quod absurdum est; quid refert, si accipere  
non possumus? Item, insidiator superatus; vi victa vis:  
vel potius oppressa virtute audacia est.*

§. V. Sed membra hoc modo dissoluta artificiose  
Periodis praeponi solent aut ad finem annecti, nihil  
B dico,

dico, quid respubl. consecuta sit; nihil, quid vos; nihil, quid omnes boni. Ter membratim. Sequitur periodus, nihil sane id proffit Miloni; qui hoc fato natus est; ut ne se quidem seruare potuerit, quin una rempubl. vosque seruaret. Consimiliter Isocrates in Panathenaico. Τίτος ἐν ἔνεκα τᾶντα διήλθον· ἔ συγγνώμης τυχεῖν ἀξίων· ἔ γὰρ ἔτος ὀιομαι διελέχθαι. Membratim haec tenus: sequitur circuitus longior, ἀλλὰ δηλώσω βαλόμεν. Ἐτάτε περὶ ἐμὲ γεγόμενα καὶ τῶν ἀκροατῶν ἐπαινέσαι μὲν τὲς τόντε λόγον ἀποδεχομένους τῆτον καὶ τῶν ἄλλων σπευδαιότερος, καὶ φιλοσοφότερος εἶναι νομίζοντας· τὲς τε διδασκαλικῆς, καὶ τεχνικῆς, τῶν πρὸς ἐπιδείξεις, καὶ τὲς ἀγῶνας γεγραμμένων· καὶ τὲς τῆς ἀληθείας σοχαζομένους τῶν τοῖς δόξαις τῶν ἀκροαμένων παρακρούεσθαι ζητούντων, καὶ τὲς ἐπιπλήττοντας τοῖς ἀμαρτανομένοις· καὶ νεθετῆντας τῶν πρὸς ἴδονον, καὶ χεῖρον λεγομένον.

§.VI. Nonnunquam incisus membra comprehensionum eleganter intersecantur: ut, etenim si veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur: necesse est, iste, qui amicum, socium, affinem fama ac fortuna spoliare conatus est: vanum se esse perfidiosum & impium se esse fateatur. Hic non solum incisus coniuncta membra sunt: verum etiam coniunctione rerum & verborum: deinde earundem etiam rursus distinctione concinne confecta & dilatata periodus est τρικώλος. Sed de concinnitate post: nunc de dilatatione & varietate huius generis, quod trium est siue partium siue membrorum.

§.VII. Ergo repetenda nobis ab initio est diuisio τρικώλων comprehensionum: aut enim duo habent paria membra & tertium impar: quod genus ἰσοσκελὲς est appellatum: aut omnia tria sunt paria,

ἰσόπλευ-

ἰσοπλευρον nominatum: aut omnia inaequalia, quod docendi gratia ἀνισον appellemus.

§. VIII. In primo igitur genere, quod ἰσοσκελές est, duo illa paria membra parem semper explicationem habent, numero syllabarum: etiam si forma non sint consimilia. Explicationem τῶσιν voco, qua membra sunt longiora & fusius producuntur. Forma autem in verborum & sententiarum consistit ornamentis. Igitur in ista comprehensione, nego quicquam esse a testibus didicim: quod vestrum cuiquam esset obscurum: aut cuiusquam oratoris eloquentiam requireret: prima duo membra paria sunt, tertium impar, & longius utroque.

§. VIII. Contra etiam fit, ut productio in paribus membris fit, & tertium sit decurtatum: ut, quae res in civitate duae plurimum possunt: haec contra vos ambae faciunt in hoc tempore: summa gratia & eloquentia. Talis etiam est Aeschinis, ἵνα δ' εἰ εἰδῆτε, ὅτι ἀληθῆ λέγω λάβετε μοι τὴν καλλιῆ γραφὴν καὶ συμμεχλοῦν καὶ ἀνάγνωθι τὸ ψήφισμα.

§. X. Aliquando duo extrema paria sunt: tertium in medio collocatum brevius productum est: ut, isto in loco, quod tribuendum est officio, fidei, religioni: id ita moderabor: ut meminerim, me contra amici studium pro amici periculo dicere.

§. XI. Ex quo intelligi potest, membrum illud tertium, quod aut longitudine aut brevitate est inaequale, vel primum locum occupare, vel secundum, vel postremum. Id quod etiam fit in illis, quas ἀνίσως appellamus: in quibus unum etiam aliquod necesse est alteris duobus esse curtius aliquot syllabis: ut illa contra Rullum, primum membrum longius habet duobus antequantibus, & medium extremis utrisque brevius, omnium legum iniquissimam dissimillimamque legem esse arbitror eam: quam L. Flaccus interrex de Sylla tulit: ut omnia, quaecumque ille fecisset, essent rata.

§. XII. Talis etiam est Aeschinis contra Ctesiphon-  
tem, σπένδων δ' εἶπεν περὶ τῆς μεγίστης συμμα-  
χίας τῆς τῶν θηβαίων membrum oblongum χοινο-  
τενὲς appellatum: insequens breue & par inciso,  
ἵνα ἐφεξῆς εἶπω extremum longius, sed tamen bre-  
uius primo, περὶ τῶν εὐβοέων πρῶτον μνηθῆσομαι.  
In illa vero primum membrum breuius est utroque  
insequenti, & medium utroque longius. *Omnia, quae  
hoc per tricenarium agitata sunt; iam ab eo tempore, quo a  
L. Catilina & C. Pisone initum consilium senatus interfi-  
ciendi scitis esse: in hos dies, in hos menses, in hoc tempore  
irrupunt.* Etiam talis est ista, ἕτερον δὲ εἶναι νόμον  
φίσεσιν ἐναντίον τέτρω. Primum membrum lon-  
gum, sed alterum longius, τὸν δεδωκότα ἐξέσιαν  
ποιεῖσθαι τὴν ἀνάβησιν τῆ σεφάνε τραγωδοῖς ἐν  
τῷ θεάτρῳ. Tertium utroque breuius, εἰάν ψηφί-  
σηται ὁ δῆμος.

§. XIII. Contraria collocatio est in illis, quae pri-  
mum membrum habent utroque breuius insequenti,  
& finem utroque antecedente longiorem: ut, εἶπω  
τοῖνον τῆτό ἐς: δεινόν. Membrum primum breue,  
alterum longius, εἰ καιροὶ πέπρακται τηλικῆτοι καὶ  
συνεδρία καὶ συντάξεις: tertium utrumque supe-  
rans, ἀλλὰ πολὺ τῆτο δεινότερον ὑμῖν φανήσεται,  
ὃ μέλλω λέγειν in quo productio facta est κατὰ  
πρόθεσιν extremae sententiae ὃ μέλλω λέγειν. Si-  
milis est Ciceronis contra Catilinam circumductio.  
*Quae cum ita sint. Quirites: vos, quemadmodum iam  
antea dixi, vestra reſta custoditis vigiliisque defendite:  
mibi, ut urbi sine vestro metu ac sine ullo tumultu satis esset  
praesidii, consultum ac prouisum est.*

§. XIII. Sed haec illis, quae ἰσοσκελεῖς καὶ ἀνισοί  
nominantur: quae vero omnia tria membra paria ha-  
bent: ea etiam aequalem habent vel contractionem,  
vel

vel dilatationem. Nam ista, quae tametsi paucis syllabis dispar, pro pari haberi potest, & contracta est ad breuitatem, videte, quantum interuallum sit interiectum: inter maiorum nostrorum consilia: & inter istorum hominum dementiam. Magis aequalia sunt, & tamen mediocria in illa de senectute, mihi quidem ita iucunda huius libri confectio fuit; ut non modo omnes absterferit senectutis molestias; sed effecerit mollem & iucundum senectutem.

§. XV. Hoc genus, quod breuiora membra habet, frequentius est, quam illud alterum, in quo sunt omnia productiora, cuiusmodi est in epistola ad Q. Fratrem, etsi non dubitabam, quam hanc epistolam multi nuntii, fama denique ipsa esset sua celeritate superatura; tuque ante ab aliis auditurus esses, annum tertium accessisse desiderio & labori tuo; tamen existimaui, a me quoque tibi huius molestiae nuntium aliquo modo perferri oportere. Nisi primum membrum quinque syllabis longius esset: omnia essent paria. *Ista vero δι' ὄλης ἐστὶν ἰσόπλευρος* in Pisonem, obrepisti ad honores, errore hominum; commendatione fumosarum imaginum; quarum simile habes nihil, praeter colorem.

## CAP. VIII.

DE

QUATVOR MEMBRORVM PERIODIS  
DILATANDIS.

§. I.

**I**N quatuor membrorum periodis eae venustissimae sunt, in quibus propositio duorum membrorum reditum, & reditus totidem membrorum propositio- nem & reflexionem habet: cuius tale exemplum Her- mogenes ex Demosthene ponit, ἐν μὲν γὰρ τῶν γραφῶν μηδένα εἶναι ἀτελεῆ· τὰς ἔχοντας ἀφέλετο τὴν ἀτέλειαν. ἐν δὲ τῶν προσγραφῶν μηδὲ τὸ λοιπὸν εἶναι ὄναι· τὸ ὄναι ὑμῖν εἶναι. Talis est

B 3

etiam

etiam in principio orationis pro Cecinna, si quantum in agro locisque desertis audacia potest; tantum in foro atque in iudiciis impudentia valet; non minus in causa cederet A. Cecinna Sex. Ebutii impudentiae; quantum in vi facienda cessit audaciae.

§. II. Minutior est comprehensio in diuinatione & tamen quatuor membrorum. Hic tu si laesum te a Verre esse dices; patiar & concedam; si iniuriam tibi factam quaereris; defendam & negabo. Eiusdem generis est, eloquentia Q. Hortensii, ne me in dicendo impediatur; non nihil commoueor; gratia S. Nacuii ne P. Quintio noceat; id vero non mediocriter pertimesco.

§. III. Hoc genus, ut proposuimus, elegans est & propter propositiones & earum reflexiones aequabiles: sed fit saepenumero, ut huiusmodi duplex reditus non appareat, cum tamen propositio a reflexione binis membris sit separata: ut, quod si, iudex, nullo praesidio fuisse videre contra vim & gratiam solitudini atque inopiae; si apud hoc consilium ex opibus, non ex veritate causae pendetur; profecto nihil est iam sanctum atque sincerum in ciuitate; nihil, quod humilitatem cuiusquam grauitas & virtus iudicis consoletur.

§. IIII. Sunt ergo haec duo prima genera τετρακόων, in quibus est aequalitas propositionum & reflexionum. Sed fit saepe, ut altera pars dilatetur periodi & propositio vnius sit membri: consecutio veritium: ut in diuinatione Verrina, Quare, cum incertum sit de iniuria; quenquam horum esse putas; qui non malit te sine vituperatione; quam cum scelere discedere & Simili Aeschines contra Demosthenem est usus, εὖν τῶν ἡμῶν σαφῶς ἐπιδείξω. δεήσομαι ὑμῶν μετρίαν δέησιν ἐπινεύσατε ἐμοὶ πρὸς θεόν τὸν πρῶτον τὸν τετάρτων καιρὸν μὴ καλῶς αὐτὸν πεπολιτεῦσθαι. Item fit apud Hocratem, εἰ δὴπε πάντων ἐστὶν ἡγεῖσθαι τῶν ἐπιλήθους τῶν αὐτοχθόνων. εἰδῶ

τὴς ἐκείτας γενομένες τῶν ὑποδεξαμένων. Hoc genus fit, cum ex primo membro sententia deriuatur.

§. V. Contra fit etiam saepe, ut propositio trium fit membrorum & comprehensio postremo claudatur membro vno: ut in Cluentiana, eadem hac Dinea testamentum faciente; cum tabulas prehensisset Oppianicus; qui gener eius fuisset; legata delerit. Sic etiam Aeschines, κτησιφῶν δὲ, ὡ ἀθηναῖοι, ὑπερπηδήσας τὸν νόμον τὸν περὶ ὑπευθύνων κείμενον· καὶ τὴν πρόφασιν, ἣν ἐγὼ ἀρετίως προσέειπον ὑμῖν, ἀνελαῶν· πρὶν λόγον, πρὶν εὐθύνσας δέναι· γέγραφε δημοδένην ἀρχοντα σφραγίσεν.

§. VI. Haec igitur vna est dilatandi ratio, qua principia comprehensionum, vel longiora fiant, vel breviora extremis; cum aut vnum membrum de duobus amittunt; aut de alteris duobus, quasi e regione posititis, vnum assumunt.

§. VII. Est etiam altera ratio, quae in breuitate, aut prolixitate membrorum est posita, manentibus utrinque duobus membris: ut, si quis perperam iudicasset; se cogniturum; cum cognouisset; animaduersurum. Finis quatuor syllabis principio est breuior. Illud etiam operae pretium est considerare, quatuor membrorum complexiones, cum breues sunt, concinne aliquando continuari: ut fit in principio libri tertii de legibus, nam qui bene imperat; paruerit aliquando necesse est; & qui modeste paret; videtur, qui aliquando imperet dignus esse. Itaque oportet & eum, qui paret, sperare; se aliquo tempore imperaturum; & illum, qui imperat, cogitare; breui tempore sibi esse parendum.

§. VIII. In membris harum comprehensionum extendendis aut contrahendis, eadem ratio tenenda est, quae in reliquis tribus generibus, de qua proposuimus; quam confici diximus verborum vel propositione, vel postpositione, vel interpositione.

§. VIII. Fit etiam saepe numero, vt ex quatuor membris tria conficiantur, & ex tribus quatuor. Sed haec ad praecepta exercitationis pertinent & ad comprehensionum commutationes, quas Graeci *μεταποιήσεις, & μεταχηματισμὸς* vocant; de quibus post erit explicandum; nunc de connexionibus plurium, quam quatuor membrorum, exponamus.

CAP. VIII.

DE

PLVRIVM, QVAM QVATVOR MEMBRORVM  
COMPREHENSIONIBVS.

§. I.

**P**eriodi, quae quatuor tantum partibus constant, non solum membrorum dilatationes intra se habent, sed ipsae etiam vltra suum partium numerum extrahuntur. Quintilianus libro nono medium numerum quatuor membrorum esse vult; propterea quod frequenter etiam plura recipiant. Ex quo intelligitur, si quatuor membra medium numerum constituunt, plenam esse comprehensionem, quae octo sit membrorum. Graeci medium numerum certis verbis notarunt, & omnem periodum intra *τετρακώλιαν* concluderunt.

§. II. Est tamen apud eosdem etiam doctrina quaedam *περὶ τάσεως*, hoc est, de longiori ambitu verborum & sententiarum; quem tamen Hermiogenes *πνεύματι* attribuit: de quo post dicetur: tamen adhibetur etiam huic generi periodorum, quoties vltra mediam longitudinem, hoc est, quatuor membra huiusmodi siue ambitus, siue circuitus, explicatur.

§. III. Quod genus exordiis magnarum caussarum conuenit, & numerosorum est operum; qualis est in principio pro Milone primus circuitus, *etsi vereor, iudices, ne turpe sit, pro fortissimo viro dicere incipientem timere; minimeque deceat, cum T. Annio Milo ipso magis*



gis de Reip. salute, quam de sua perturbetur, me ad eius causam parem animi magnitudinem afferre non nosse; tamen haec noui iudicii noua forma terret oculos; qui, quocumque inciderint, veterem consuetudinem fori, & pristinum morem iudiciorum requirunt.

§. III. De reditu certum est, quod trium sit membrorum: principium aliquibus videtur esse duorum membrorum propter ἐπεμβολήν: alii ob hanc ipsam interpositionem sententiarum quatuor esse existimant. Vt eunque iudicetur ab utrisque; tamen minimus numerus quinque membrorum est; sed septem, si principium pro quatuor, vt a nonnullis, habetur.

§. V. Confimilis est libro primo officiorum, quamquam te, M. fili, annum iam audientem Cratippum, idque Athenis, abundare oportet praeceptis institutisque philosophiae; propter summam & doctoris auctoritatem & urbis; quorum alter de scientia augere potest, altera exemplis; tamen vt ipse ad meam utilitatem semper cum graecis latina coniunxi; neque id in philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci; idem tibi censeo esse faciendum; vt par sis in utriusque orationis facultate. Septem membrorum est, si primae sententiae circumductio pro membro vno aestimetur; caeteroquin octo esset partium.

§. VI. Isocratis principium, cuius duos solum versus Aristoteles in rhetoricis posuit, circumductionem habet septem membris ampliolem. Πολλὰ κίς ἐδάμασσα τῶν τὰς πανηγύρεις συναγαγόντων καὶ τὰς γυμνηκὰς ἀγῶνας κατασησάντων ὅτι τὰς μὲν σωμάτων εὐεξίας ἔτω μεγάλων δωρεῶν ἡξίωσαν τοῖς δὲ ὑπὲρ τῶν κοινῶν ἰδία ποιήσασιν καὶ τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς ἔτω παρασκευάσασιν ὥστε καὶ τὰς ἄλλας ὠφελεῖν δύνασθαι τῆτοις εὐδαιμονίαν τιμὴν ἀπένεμειν ὧν εἰκὸς ἦν αὐτὰς μάλιστα ποιήσασθαι πρόνοιαν.

§. VII. Ergo hoc genus docendi causa periodus κατὰ τάσιν, aut τάσις nominetur: propterea quod extra Aristotelis & Graecorum rhetorum septa vagetur, qui veram comprehensionem quatuor partibus finiunt, quam Quintilianus mediam vocat. Et repetatur hic etiam Hermogenis diuisio illa, quod illud sit aliquid periodo comprehendere; aliud περιδικῶς finire. Sed de periodorum diuisionibus reliquis mox; nunc etiam memoriae causa repetatur, quod hac dilata- tione comprehensionum utendum sit in grauitate, in magnitudine, in dignitate. In minoribus enim con- trouersis aliter sunt verba contexenda, id quod intel- ligi potest, si Miloniana, & similes causae cum Quincti- liana & Cecinnana comparentur.

## CAP. X.

DE

## PRODUCTIONE SPIRITVS, QVOD AB HER- MOGENE ΠΝΕΥΜΑ APPELLATVR.

§. I.

**H**Oc genus circumscriptionum, quod ex octo & aliquando ex plurium sententiarum orbe confi- citur, vicinum est illi compositioni, quae a Graecis πνευματική dicitur. Hermogenes πνεῦμα esse di- cit, compositionem orationis, quae sententiam mem- bris atque incisis dimensam, ad spiritus moderatio- nem, & ad vocis in oratore sonum, accommodate per- ficit & absoluit. Nam his verbis definit, Πνεῦμα σύνθεσις ἐστὶ λόγου διάνοιαν ἀπαρτίζον ἐν κόλοις καὶ κόμμασι μετρεῖμενον πρὸς τὴν διάρκειαν πνεύματος κατὰ τὴν φωνὴν τῆ λέγοντος.

§. II. Eius tale proponit exemplum ex oratione De- mosthenis de Corona. Ἀλλ' ὁ τὴν Ἐυβοίαν ἐκένος σφετεριζόμενος καὶ κατασκευάζων ἐπιτέχισμα ἐπὶ τὴν Ἀττικὴν καὶ μεγάλους ἐπιχειρῶν καὶ κα-  
ταλαμ-

ταλαιβάνων ἀρεῶν, καὶ κατασκόπτων πορθμῶν,  
καὶ καθιστᾶς, ἐν μὲν ἀρεῶ, Φιλιππίδην τύραννον  
ἐν δὲ Ερετρία κλέσταρχον, καὶ τὸν ἐλλήσποντον  
ὑφ' αὐτῶ ποίεμενος· καὶ Βυζάντιον πολιορκῶν καὶ  
πόλεως ἑλληνίδας, τινὰς μὲν ἀναιρῶν· εἰς τινὰς δὲ  
τῆς Φυγάδας κατέγαγον· πότερον τᾶντα πάντα  
ποιῶν ἠδίκει, καὶ παρεσπόνδει, καὶ ἔλυε τὴν  
εἰρήνην, ἢ ὄχι.

§. III. Hoc genus a periodo differt, quod periodus  
finitum numerum habet membrorum, & vocis volu-  
biliorem continuationem. Hoc vero & numero &  
genere ipso, atque forma est infinitum; tamen si infini-  
tum non sit sententia, & interpirationibus sit relaxan-  
dum. Quamobrem Hermogenes dicit, ἔτ' ἀριθμῶ,  
ἔθ' ἔξει περιπίπτει τὸ πνεῦμα· ἀλλὰ τὸ παρά τυ-  
χὸν γίνεται δι' ἄλλων μὲν & γίνεται.

§. IIII. Similis est sententiae circuitus, qui perfici-  
tur pluribus incisus & membris in oratione, quam pro  
domo sua Cicero habuit. *Suscipere tantos animi dolo-  
res, atque ea, quae capta urbe accidunt victis, stante urbe  
enim perpeti; etiam se videre distrabi a complexu suo-  
rum; disturbari uicta, diripi fortunas, patriae denique  
caussa patriam ipsam amittere; spoliari populi Romani  
beneficiis amplissimis; praecipitari ex altissimo dignita-  
tis gradu; videre praetextatos inimicos, nondum morte  
complorata, arbitraria petentes funeris; haec omnia  
subire conseruandorum ciuium causa, atque ita, ut dolent-  
ter absis; non tam sapiens, quam illi, qui nihil curant;  
sed tam amans tuorum, quam communis humanitas postu-  
let; ea laus praeclara est, atque diuina.*

§. V. Hermogenes eiusmodi continuationum duo  
scribit esse genera, quorum vnum est, cuius principium  
& finis vno continetur, vtrinque aliarum sententiarum  
membris interciso sensu. Id suo more ad hunc mo-  
dum describit, ἔτοι γὰρ ἐν νόημα λαβόντες, καὶ  
τῆτο

τῆτο ἐργαζόμενοι τῇ ἐρμηνείᾳ τοῖς πλείοσι κώλοισ  
 διακριᾶμεν τὸ ἐν ἐπεκτείναντες. Cuius productionis  
 tale exemplum rursus ex eadem Demosthenis oratio-  
 ne adfert, ὅτε γὰρ περιῶν ὁ Φίλιππος ἰδιῶν καὶ  
 τριβαλλῶν τινῶν γὰρ καὶ τῶν ἐλλήνων κατεξρέφε-  
 το καὶ δυνάμεις πολλὰς καὶ μεγάλας ἐποίητο ὑφ'  
 ἑαυτῶ, καὶ τινὲς ἐκ τῶν πόλεων ἐπὶ τῇ τῆς εἰρήνης  
 ἔξουσία βαδίζοντες ἐκείτε διεθφείροντο ὧν ἕς ἕτος  
 ἦν τότε πάντες ἐφ' ἕς ταῦτα πάρεσκευάζετο ἐκεί-  
 νος ἐπολεμῆντο.

§. VI. Huius etiam generis est contra Catilinam  
 pluribus verbis productus ambitus. Hunc ego hominem  
 tam acrem, tam paratum, tam audacem, tam callidum,  
 tam in scelere vigilantem, tam in perditis rebus diligen-  
 tem, nisi ex domesticis insidiis in castrense latrocinium  
 complissem; dicam id quod sentio, Quirites: non sane  
 hanc tantam molem mali a ceruicibus vestris depulissem.

§. VII. Alterum genus est huiuscemodi productio-  
 nis, in quo membratim sententiae continenter absol-  
 uuntur, cuius generis fuit exemplum, quod antea pro-  
 posui ex Demosthene, ἀλλ' ὁ τὴν εὐβοίαν ἐκείνος  
 σφλεριζόμενος, caet. Et illud in eadem oratione  
 contra Catilinam, non ille vobis saturnalia constituisset;  
 neque tanto ante exitium ac fati diem Reipubl. denuncia-  
 set; ut signum, ut litterae, testes denique manifesti sceleris  
 deprehenderentur; quae nunc illo absente sic gesta sunt;  
 ut nullum in priuata domo furtum unquam sit tam palam  
 inuentum, quam tota haec in rempubl. coniuratio mani-  
 feste inuenta atque deprehensa est.

§. VIII. Sed illud exemplum clarius est, atque ita  
 censuerunt; ut P. Lentulus cum se praetura abdisasset,  
 tum in custodiam traderetur; itemque Cethegus, L. Sta-  
 tilius, P. Gabinius, qui omnes praesentes erant, in custo-  
 diam traderentur; atque idem hoc decretum est in L. Cas-  
 sium; qui sibi procurationem incendendae urbis depoposce-

rat: in M. Ceparium: cui ad sollicitandos pastores Apuliam esse attributam erat indicatum: in P. Furium, qui ex his coloniis, quas Fessulas L. Sylla adduxit, in Q. Manlium Chilonem, qui uno erat cum hoc Furio in Allobrogum sollicitatione versatus: in P. Umbrenum, libertinum hominem, a quo primum Gallos ad Gabinium productos constabat.

§. VIII. Sic ex prima sententia reliquae omnes insequentes dependent. Saepe Cicero hoc genere utitur circumscriptionis: cuiusmodi etiam illud est pro Fonteio, quid nunc vobis faciendum est studiis militaribus apud iuuentutem obsoletis: hominibus autem & summis ducebibus, partim aetate, partim civitatis discordiis ac reip. calamitate consumptis? cum tot bella aut a nobis necessario suscipiantur; aut subito, ac improvise nascantur; nonne & hominem ipsum ad dubia reip. tempora conservandum, & caeteros studio laudis & virtutis inflammandos putatis?

§. X. Adhibetur hoc genus compositionis in enumerationibus, in inflammandis auditoribus, in frequentationibus argumentorum, in commorationibus in eadem re, & grauibus causis accommodatur. Haec duo sunt genera productionum ab Hermogene notata; quanquam aliquando sententia in medio perficitur; ut in causa Planciana. Memini enim, neque unquam obliuiscar illius noctis; cum tibi vigilantem, assidentem, morienti vana quaedam miser, atque inania falsa spe inductus pollicebar; me, si essem in patriam restitutus, praesentim tibi gratiam relaturum; sin autem vitam mihi mors ademisset, aut vis aliqua maior reditum peremisset; hos, (quos enim ego tunc alios animo intuebar?) omnia tibi illorum laborum praemia pro me persoluturos.

§. XI. Neque dissimile est exemplum, quod iam ex Fonteiana adduximus. Sed Hermogenes fortassis idcirco hoc genus non indicavit; quia reditum habet in medio

medio; & ad periodos ea de caussa putat esse remittendum, & ad comprehensiones compolitas; de quibus deinceps erit exponendum.

## CAP. XI.

DE

## PERIODORVM ADIUNCTIONIBVS.

## §. I.

**S**ed antequam ad comprehensionum reliquam partitionem veniamus; de adiunctionibus earum dicendum est, quae confimiles sunt huic generi conuersionum; quod Graeci suo verbo vocant spiritus.

§. II. Hae sunt modo quodam connectendi, quem *σύνεσις* nominant, cuius tripartita est ratio. Vna principii, altera medii, tertia finis; ex qua partitione illa vocabula docendi caussa existunt, *προσύνεσις*, *ἐσύνεσις*, *ἐπισύνεσις*, quod verbum etiam in suis ideis Hermogenes habet.

§. III. Hoc genus ab illo primo differt, quod conficitur propositione, postpositione, interpositione; de quo est dictum; propterea, quod illae tres in eadem adhibentur comprehensione; hae vero, de quibus iam agimus, extra comprehensionem propositam applicantur, vt coniungant consequentia.

§. IIII. Quamobrem haec pro M. Marcello facta complexio *προσύνεσις* habet periodi. *Te vero, quem praesentem intuemur; cuius mentem sensusque es os cernimus; vt quicquid bollum reliquum reip. fecerit, id esse saluum velis; quibus laudibus efferimus? haec tenus periodus; sequitur adiunctio duorum membrorum, quibus studiis persequemur? qua benevolentia complectemur? Concinne huic generi connectuntur aliae comprehensiones breuiusculae; vt in hoc eodem loco. *Parietes, medius fidius, C. Caesar, vt mihi videtur, huius curiae tibi gratias agere gestiunt; quod breui tempore**

pore futura sit illa auctoritas in his maiorum suorum  
 Et suis sedibus.

§. V. Contrariam collocationem habent, in quibus  
 aut incisorum, aut membrorum fit praecursio; vt pro  
 rege Deiotaro, *quid de virtute eius dicam? quid de  
 magnitudine animi? grauitate? constantia?* haecenus  
 duo membra & duo incisa; insequitur comprehensio,  
*quae omnes docti atque sapientes summa; quidam etiam  
 sola bona esse dixerunt; hisque non modo ad bene, sed  
 etiam ad beate viuendum contentam virtutem esse.*

§. VI. In medio collocantur eo modo; vt in eadem  
 oratione pro rege Deiotaro: *Laboro equidem regis  
 Deiotari causa; quocum mihi amicitiam respubl conciliauit;*  
 periodus duorum membrorum est; cui continentur  
 annexa alia membra: *hospitium voluntas vtriusque  
 coniunxit; familiarem consuetudo attulit; summam  
 vero necessitudinem, magna eius officia in me Et exercitium  
 meum effecerunt. Sed cum de illo laboro, tum de multis  
 amplissimis viris; quibus semel a te esse ignotum oportet;  
 nec beneficium tuum in dubium vocari; nec haerere  
 in animis sollicitudinem sempiternam. Sequitur extrema  
 comprehensio; nec accidere, vt quisquam te timere  
 incipiat tuorum; qui a te semel sunt liberati timore.*

§. VII. Sed non solum periodi iunguntur cum membris  
 & incisis, verum etiam periodorum fit inter se continuatio  
 & consecutio, absque vilo intervallo sententiarum;  
 vt in prima Philippica. *Ego cum sperarem aliquando  
 ad vestrum consilium, auctoritatemque esse rempubl.  
 reuocatam; manendum mihi statuebam, quasi in vigilia  
 quadam consulari ac senatoria. Comprehensio est  
 haec vna duarum partium; cui altera annexa est, nec  
 vero vsquam dicebam, nec a republ. dericiebam oculos; ex  
 eo die, quo in eadem Telluris conuocati sumus. Item huic  
 copulata tertia; in quo templo, quantum in me fuit, ieci  
 fundamenta pacis; Atheniensiumque reuocaui vetus  
 exemplum; huic quarta adiuncta; graecum etiam verbum*

bum usurpauit; quod tum in sedandis discordiis usurpauerat ciuitas illa; atque omnem memoriam discordiarum obliuione sempiterna delendam censui.

§. VIII. Atque haec de periodis, primum veris; quae quatuor membris metiuntur; deinde explicatis; in quibus plura sunt, quam quatuor membra; sed tamen periodica comprehensio est; tum de alio genere, quod Ipiritum Graeci vocant; & nunc de adiunctione & compositione comprehensionum.

§. VIII. Quanquam etiam huic loco conuenit principium Thucydidis; cuius collocationem Dionysius Halicarnassaeus explicat, & duodecim comprehensiones complecti dicit; quae similem cum superiori exemplo habent connexionem. Earum prima est, *Θουκυδίδης ἀθηναῖοι* *Θ* *Ἐυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν πελοποννησίων καὶ ἀθηναίων, ὡς ἐπολέμησαν πρὸς ἀλλήλους.* Huic connexa est etiam altera duorum membrorum *ἀρχαίμενοι* *Θ* *εὐθύς καθίσταμενοι. καὶ ἐλπίσσας μέγαν τε ἔσεσθαι καὶ ἀξιολογώτατον τῶν πρὸς γεγενημένων.* Tertia etiam continuata cum duabus superioribus & plurium partium, *τεκμηρόμενοι* *Θ* *δὲ ὅτι ἀκράζοντες τὲ ἦσαν ἐς αὐτὸν ἀμφοτέρω παρασκευῇ τῇ πάσῃ καὶ τὸ ἄλλο ἑλληνικὸν ὄρων ἔκιντο πρὸς ἐκείλους τὸ μὲν εὐθύς, τὸ δὲ καὶ διανοέμενον.* Haecenus tres continentur propositae: quarta separata est, *κίνησις γὰρ αὐτῆς μεγίστη τοῖς Ἕλλησιν ἐγένετο καὶ μέρει τινὶ τῶν βαρβάρων ὡς δὲ εἶπεν καὶ ἐπὶ πλείω ἀνθρώπων.* Etiam quinta seorsum est collocata, sed prolixior hac, quae praecedit, *τὰ γὰρ πρὸς αὐτῶν καὶ τὰ ἐπιπαλαιότερα σαφῶς μὲν εὐρεῖν διὰ χρόνον πλῆθος* *Θ*, *ἀδύνατα ἦν· ἐν δὲ τεκμηρίων, ἃν ἐπὶ μακρότατον σκοπεῖν μοι πισυῖσθαι συμβαίνει, & μεγάλα νομίζω γινέσθαι, ἔτε κατὰ τὰς πολέμους, ἔτε ἐς τ' ἄλλα.*  
Sexta



Sexta vnius membri est *Φαίνετα* γὰρ ἡ νῦν ἑλλὰς  
καλεσμένη ἐ πάλαι *Βεβαίως* οἰκωμένη. Sed habet  
ista annexionem septimae, ἀλλὰ μετανασάσεις τε  
ἔσται τὰ πρότερα καὶ βραδίας ἕκαστοι τὴν ἑαυτῶν  
ἀπολείποντες· βιαζόμενοι ὑπὸ τινῶν αἰεὶ πλειόνων.  
Ostava sequitur diremta a superiore, τῆς γὰρ ἐμπο-  
ρίας ἐκ ἔσης, ἐδὲ ἐπιμυγνύντες ἀδεῶς ἀλλήλοισι, ἔτε  
κατὰ γῆν, ἔτε διὰ θαλάσσης. Huic est adiuncta,  
absque interuallo nona. Νεμόμενοι τε τὰ ἑαυτῶν  
ἕκαστοι ὅσον ἀπὸ ζῆν. Sic etiam decima, καὶ πε-  
ρισίαν χρημάτων ἐκ ἔχοντες, ἐδὲ γῆν φυτεύοντες.  
Vndecima etiam annexa absque intercapedine,  
ἀδελφον ὄν. ὅποτε τις ἐπελθῶν, καὶ ἀτειχίστων ἄμα  
όντων· ἄλλος ἀφαιρήσεται τῆς κατ' ἡμέραν  
ἀναγκαίης τροφῆς. Eodem modo duodecima con-  
iuncta, πανταχῶ ἀν ἡγέμενοι ἐπικρατεῖν ἐ χαλε-  
πῶς ἀνίησαντο. Quatuor comprehensiones vna  
vocis contentione, vt apparet, sunt perpetuae. Hoc  
genus compositionis partim ad periodos compositas,  
partim ad productiones vocis, πνεύματα vocari  
diximus, est referendum.

§. X. Est locus quidam apud Isocratem in Panegy-  
rico speciosus atque illustris de Atheniensium elo-  
quentia: in quo continenter etiam collocatae sunt  
comprehensiones: in quibus prima trium est partium,  
ἡ πόλις ἡμῶν καὶ λόγος ἐτίμησεν· ὧν πάντες μὲν  
ἐπιθυμοῦσι τοῖς δ' ἐπισημένοις φρονέσι. Insequens  
partium trium est, συνοιδυῖα μὲν, ὅτι τῆτο μόνον ἐξ  
ἀπάντων τῶν ζώων ἴδιον ἔφουμεν ἔχοντες· καὶ ὅτι  
τῆτω πλεονεκήσαντες· καὶ τοῖς ἄλλοις ἄμασιν  
αὐτῶν διανέγκαμεν. Tertia etiam trium, ὁρᾶσα δὲ  
περὶ μὲν τὰς ἄλλας πράξεις ἔτω ταραχάδεῖς ἔσας  
τὰς τύχας ὡσεὶ πολλῶν ἐν αὐταῖς καὶ τῆς φρο-  
νίμης

νίμεις άτυχεῖν καὶ τὲς ἀνοήτες κατορθῶν. Hinc  
 quarta absque intervallo est continens quadripartita,  
 τῶν δὲ λόγων τὲς καλῶς καὶ τεχνικῶς ἔχοντας  
 ἔ μέντοι Φάουλῆς ἀλλὰ ψυχῆς εὔ φρονέσης ἔργον  
 ὄντας καὶ τὲς τε σοφῆς καὶ τὲς αμαρτῆς δοκῶν-  
 τας εἶναι τούτη πλεῖστον ἀλλήλων διαφέροντας.  
 Quinta etiam membrorum quatuor, tameti interposi-  
 tum quoddam intervallo & interpirationem ha-  
 beat: tamen ex superioribus deriuata iisdem est casi-  
 bus, ἔτι δὲ τὲς ἐξ ἀρχῆς ἐλευθέρως τετραμμένες.  
 ἐκ μὲν ἀνδρίας καὶ πλάτε καὶ τῶν τοιούτων ἀγαθῶν  
 γνωσκομένες ἐκ δὲ τῶν λεγομένων μάλιστα κατα-  
 φανῆς γιγνομένες καὶ τῆτο δὲ σύμβολον τῆς  
 παιδείσεως ἡμῶν ἑκάστῃ πιστότατον ἀποδεδειγμένον.  
 Hanc sexta trium membrorum coniuncte sequitur,  
 καὶ τὲς τῶ λόγῳ χρωμένες ἔ μόνον ἐν ταῖς αἰσῶν  
 δυναμένες ἀλλὰ καὶ παρὰ τοῖς ἄλλοις ἐντίμεις  
 ὄντας. Septima intervallo disiuncta videtur; sed  
 etiam ex antecedentibus defluens: duorum membro-  
 rum, τοσῶτον ἀπολέλοιπεν ἡ πόλις ἡμῶν περὶ τῆ  
 φρονεῖν καὶ λέγειν τὲς ἄλλες ἀνθρώπους ὡς αἰ  
 ταύτης μαθηταί: τῶν ἄλλων διδασκαλοὶ γεγονάσι.  
 Sequuntur duae nulla fere interpunctatione, καὶ τὸ  
 τῶν ἑλλήνων ὄνομα πεποίηκε μηκέτι πῆ γένες. ἀλλὰ  
 καὶ τῆς διανοίας δοκῶν τεκμήριον εἶναι. Duorum ista  
 membrorum est: illa altera trium, καὶ μάλλον ἑλλη-  
 νες καλεῖσθαι τὲς τῆς παιδείσεως ἡμετέρας ἢ  
 τὲς τῆς κοινῆς φύσεως μετασχόντας.

§. XI. Haec si non paribus versibus, neque peraeque,  
 vt ab Isocrate concinne: certe totidem membris, &  
 consimili continuatione, latine interpretari possumus.  
 Ciuitas etiam nostra eloquentiae honores habuit: quam  
 omnes appetunt: tametsi dicendi magistris inuideatur:

recte

recte reputans, sermonem ex omnibus animantibus soli a natura homini tributum esse: & quo magis hoc praestamus: eo hominibus caeteris plus antecellere: cernens etiam, reliqua facinora casus adeo habere turbulentos, atque fortuitos: ut iis saepe sapientes euentu miseri sint: & stulti iisdem expediendis fortunati: at orationem pulchram & artificiosam: non ab animo improbo, sed sagaciter mente confici: & qui sapientes, quae indocti habentur: eos hac facultate plurimum inter se differre: hominesque de principio liberaliter educatos: laude fortitudinis atque diuitiarum, caeterisque bonis obscuros dicendo magnum nomen consequi: idque in singulis certissimum esse domesticum disciplinae documentum: & eos, quorum elegans esset oratio: non modo domi potentes esse: verum etiam foris praeclaros: quibus de causis tantum post se ciuitas nostra sapiendo atque dicendo reliquos mortales reliquit: ut huius urbis discipuli: in aliis ciuitatibus doctores euaserint eloquentiae: & Graecorum nomen, non generis: sed prudentiae insigne esse videantur: & Graeci nominentur: potius, qui vestram doctrinam: quam qui communem naturam sint consecuti.

§. XII. Haec exempla, non quo rara esse putentur, in hoc posui loco: sunt enim plurima apud omnes scriptores bonos: & ad omnem rem grauem haec verborum forma debet affingi; sed ut consideretur, in oratore perfecta & oratione artificiose consummata non solum intelligendas, sed etiam metiendas sententiarum formas, conuersionesque verborum.

## CAP. XII.

RVRSVS DE PERIODORVM DIVISIONE,  
ET PRIMVM DE PARTITIONE  
ARISTOTELIS.

## §. I.

**R**edeamus igitur ad compositionis genera, & ad orationis varietatem, quae comprehensionibus

sententiarum est distincta. Et primum Aristotelis repetamus sententiam: qui omnem compositionem duo in genera diuidit: quarum vnam vocat *είρομένην* alteram *κατεστραμμένην*. *Είρομένην* nominat eam orationem: quae continuationem habet membrorum continentem, absque interpunctione verborum, & quae *συνδέσμων* est vna, hoc est, vna verborum consecutione quali colligata. Talem dicit esse Herodoti orationem: & Thucydidis etiam est talis: & historicorum aequabiliter fluens oratio huius est rationis.

§. II. Scribit etiam Aristoteles, simile fuisse genus compositionis lyricorum: apud quos versuum continuationes *ἀναβολαί* vocabantur, antequam inuentae essent *στροφαί* atque *ἀντίστροφαι*, quibus Pindarus suos versus interpunctauit: cum id primi lyrici, non ita, vt posteriores, vsurparunt. Fuit enim tum vtrisque & poetis & reliquis scriptoribus, non prius orationem terminare, quam res proposita perfecta esset atque absoluta.

§. III. Sed hoc genus quoniam insuaue fuit, propter infinitatem incisorum & membrorum: inuentum est aliud genus orationis, aliaque verborum forma, quam Aristoteles *κατεστραμμένην* vocat communi verbo, hoc est, conuersum genus orationis, & in sese rediens & terminatum: vt, quod apud poetas *στροφή* atque *ἀντίστροφή* dicitur: id apud oratores periodus sit.

§. IIII. Huius Aristoteles hanc proponit definitionem: vt periodus sit oratio, quae principium habeat, & finem: idque per se, & magnitudinem ad intelligendum non iniucundam. *Περίοδος*, enim inquit, *λέξις ἐστὶν ἔχουσα ἀρχὴν καὶ τελευτὴν κατὰ αὐτὴν, καὶ μέγεθος εὐσύνοπτον*.

§. V. Huic videtur etiam duplicem Aristoteles finem proposuisse: vnum suauitatis, alterum docilitatis & intelligentiae. Insuaue enim est, quod est infinitum

nitum: & id ipsum etiam, quod infinitum est, non facile intelligitur. Quod vero intellectu est facile: id etiam memoria custoditur: & est, vt Graeci loquuntur, *ἐμνημόνευτον*.

§. VI. Sit igitur haec prima pars diuisionis Aristotelis: altera est, quod omnis periodus vel simplex est, quam vocat *ἀφελῆ*: vel est membris distincta & clausa, quae dicitur *ἢ ἐν κώλοις περίοδος*. Simplex est ea, quae vnus est membri.

§. VII. Ex quo intelligitur, membrum etiam periodum efficere seorsim positum: cum inchoat & perficit sententiam. Quanquam duo possunt videri membrorum genera. Vnum, quod omnino simplex est: vt, *nos tabellarios vestros quotidie exponamus*: alterum, quod aliquam habet diuisionem & reflexionem: vt,

*Multa super Priamo rogitas, super Hectore multa.*  
Et, *Fortunate senex ergo tua rura manebunt.*

§. VIII. Quae vero membris continetur periodus, ea hanc habet diuisionem, quam antea proposuimus, vt sit vel *διῶκολ*, vel *τρίῶκολ*, vel *τετραῶκολ*.

§. VIII. Omnia haec tria rursus ita inter se differunt, vt vel diuisionem habeant, vel contentionem. Diuisio duobus modis fit, vel rerum partitione: cuiusmodi est prima pro P. Quintio, quae res in ciuitate duae plurimum possunt: *hae contra nos ambae faciunt in hoc tempore: summa gratia & eloquentia*. Item altera insequens, quarum alteram vereor, alteram non mediocriter extimesco. Vel fit diuisio separatione membrorum, cuiusmodi multae sunt periodi distinctae membrum, non rerum varietate, sed verborum distinctione: vt,

*Si verum dicis: si verum, Gellia, mandas:*  
*Edisti nunquam, Gellia, tu leporem.*

§. X. Hoc genus periodorum conficitur particulis, quae vel habent relationem, vt, *qui, is, etsi, tamen*, vel conjunctionem: vt particulae, quae aut copulant, aut continuant, aut disiungunt sententias. Hoc genus

etiam periodi continuationem habet: id cuiusmodi sit, per se intelligitur: in quo contraria contrariis comparantur, aut differentia differentibus conferuntur: aut dissimilia dissimilibus, & diuersa diuersis componuntur: vt, *obsequium amicos, veritas odium parit*. In hoc contraria sunt: in illo vero differentia, *qui in vita nihil habet iucundius vita, is cum virtute vitam non potest colere*.

§. XI. Est etiam alia diuisio apud Aristotelem: quod comprehensiones quaedam sunt *μεῖζροι*, quaedam vero *μικραί*. Minores, quam oportet tum comprehensiones, tum etiam membra, *μειζροσ* vocat: quae propter breuitatem clausulae & finis, aures animosque offendunt. Et inueniuntur aliquando periodi ita curatae, vt periodi esse non videantur: cuiusmodi multae sunt in epistolis Plinii: vt etiam illa, *ἐν πλείστοις δὲ φρόντισι καὶ ἐν ἐλαχίστοις ἐλπίσι*.

§. XII. Quanquam haec partitio ad clausulas & comprehensionum reditus magis pertinet, quam ad periodos minutas & longas. Consimiliter etiam longae offendunt: propterea quod sint similes infinitis: & fatigent, non solum audientem, verum etiam pronunciantem. Et elegans est apophthegma apud Aristotelem Democriti Chii contra Melanippidem Lyricum: qui suas faciebat *ἀντιπροφὰς* similes *ἀναβολαῖς*: quem Democritus pronunciantem irrisit noto versu,

*ὄτ' αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνήρ, ἄλλω κακὰ τεύχων.*  
Et festiue illum versum interpretatus est contra poeram,

*ἢ δὲ μακρὰ ἀναβολὴ τῶ ποιήσαντι κακίη.*

§. XIII. Haec igitur sit prima diuisio comprehensionum: quae est Aristotelis, & quam sui temporis oratores videntur esse secuti: aut ipse in oratoribus obseruasse: & explicasse praeceptis.

CAP.

## CAP. XIII.

DE

## COMPOSITIONE VERBORVM.

## §. I.

Nunc quoniam intra comprehensiones sententiarum, quas iam ipsi periodos appellauimus, aut earum etiam membra atque incisa, omnis & ornatus & puritas & elegantia continetur: explicabimus de concinnitate compositionis, antequam extremam partem partitionum persequamur. In eaque ratione sequemur Dionysium Halicarnasensem, quem diximus artificiose & diligenter hanc rationem esse complexam. Neque parua laus apud eum extat compositionis, quam Graeci veteres quondam excoluerunt. Scribit enim his verbis, πολλή πρόνοια τοῖς ἀρχαίοις ἦν καὶ ποιηταῖς καὶ συγγραφεύσι, φιλοσόφοις τε καὶ ῥήτορσι τῆς ἰδέας τάντης· καὶ ἔτε τὰ ὀνόματα τοῖς ὀνόμασιν, ἔτε τὰ κῶλα τοῖς κῶλοις, ἔτε τὰς περιόδους ἀλλήλαις ἐκὴ ἐπισυναπτεῖν ὄντο τέχνη δὲ τίς ἦν παρ' αὐτοῖς καὶ θεωρήματα· οἷς χρώμενοι, συνέδεσαν εὖ.

§. II. Si igitur laus est, vt certe est: & si habet theoremata atque comprehensiones, praeceptionesque certas: & quoniam magno studio haec a veteribus Graecis exulta est: & a posteris postea, tum Graecis, tum Romanis retenta, & indicata ab Halicarnasense: sequemur eius sententiam, & eandem viam ingrediemur, quam ab eo patefactam esse videmus.

§. III. Hanc ergo rationem artem esse dicit, & eam συνθετικὴν τέχνην vocat: eamque constare tribus scribit ex partibus: quarum prima est in verborum posita collocatione, συζυγία appellata: altera in eorum conformatione, quam σχηματισμὸν nominat: tertia in transfiguratione, quam μετασκευήν.

Sed haec tria non solum verborum sunt singulorum, verum etiam incisorum & membrorum, & totius comprehensionis, imo totius orationis. Itaque quid sit vnumquodque, deinceps est exponendum.

§. III. Collocatio igitur, quam συζυγίαν nominari diximus, est verborum aut membrorum atque incisorum artificiosa connexio: quemadmodum conformatio elegans est eorundem quasi habitus, & transfiguratio, eorundem immutatio est decoro seruatō concinno.

---

CAP. XIII.

DE

PRIMO COMPOSITIONIS PRINCIPIO,  
 HOC EST, ΠΕΡΙ ΣΤΖΥΤΙΑΣ.

---

§. I.

**S**ed quoniam collocatio, quam συζυγίαν nominauimus, primum locum tenet: de hac exponamus paulo copiosius, antequam ad altera duo accedamus. Verum, quia ea non solum verborum est, sed etiam membrorum atque conuersionum: primum de verbis est explicandum.

§. II. In verbis deligenda sunt significantia, sonantia, plena. Quamquam nunc non de verborum potestate differitur, sed de sono, qui litterarum natura & coitione aestimatur: ergo de verbis sonantibus agemus, eorumque iudicium ex Graecorum petemus fontibus.

§. III. Apud hos enim inter vocales princeps locus tribuitur a longo, non breui. Itaque νόματα, apud Doros, primum α habet sonantius, quam altera duo continenter insequentia. Huic par est apud Latinos a longum, vt, *fatum, amabant*: quamquam etiam breue suaue est, vt, *aliquis, dare*.

§. IIII. Proximum est η, vt, ἡδονή, πληγή: cui Latinorum e longum respondet, vt, *Penelope*. Ideoque illud sonans est apud Ouidium carmen,

Vt



*Vt flerent, oculos erudiere suos. Sic  
Conticuere omnes intentique ora tenebant.*

I breue tanto deterius est e longo : quanto a breue minus virile est, quam a longum.

§. V. Tertiam dignitatem Ω sibi arrogat apud Graecos : vt apud Thucydidem, *καὶ μέγας τιμὴ τῶν βασιβάρων, ὡς δὲ εἶπεν, καὶ ἐπὶ πλείστων ἀνθρώπων.* Ergo apud Ciceronem, *ego omni officio caeteris satis facio omnibus, mihi ipse non satis facio* : sonans est & graue epistolae principium : eique simile pro Sex. Roscio, *credo ego vos mirari iudices.* Verba etiam, cum o extenditur, sonum habet numerosum, vt, *condo & compono, quae mox depromere possum. Arma virumque cano.* Sic nomina secundi ordinis inflexionum duos habent huius naturae casus.

§. VI. Quartum Υ locum occupat, vt, *βασύς, ἰδύς.* Sed tum sonantius cum est productum, vt apud Pindarum, *τὸ δ' αἰθόμενον πῦρ* & apud alium poetam, *ἐπεὶ εἶδον ἀκάματον πῦρ.* Quanquam etiam in illo versu sonorum est Υ apud Homerum,

*κύκλωψ δὲ σενάχων τε, καὶ ὀδύων ὀδύνησι.*

*Χερσὶ ψυλαφῶων.*

In illo minus,

*προσπροκυλινδόμενος πατρός διὸς αἰγιόχοιο.*

§. VII. Haec littera Latinis quidem est infrequens, nisi in verbis mutuatis, ex lingua Graecorum : habet tamen vim non inferiorem u Latinorum breue. Neque enim differunt soni inter se suauitate multum, *βαδάμανθυσ* Graecorum, & *Rhadamanthus* Latinorum : neque insuauis, neque abiectus ille versus,

*Nos patriam fugimus, tu, Tityre, lentus in umbra.*

§. VIII. Graecorum iota inter quinque eorum vocales, de quibus hactenus dictum est, postremum obtinet locum ; sed tum nimirum magis, cum est breue.

Quocirca in illo versu, *Sicclides musae* primum sonorius est duobus insequentibus; sed tamen minus canorum, quam *a*, si eodem in loco primo poneretur, vt, *Naiades nymphae*.

§. VIII. Latini eandem litteram habent in principio & in medio verborum breuem, vt, *Imitari*. In fine nullum est *i* breue, nisi aut Graecum sit, vt, *Hectori*: aut in verbis copulatis, vt, *signifer*. Quamquam latinum *i* cum longum est, semper est sonans, & tum praesertim, cum insignis sit collocatio. Id quod Virgilio etiam placuisse videtur: veluti, *vt vidi, vt perii, vt me malus abstulit error*.

§. X. Vt *perii* tantam vim *i* littera habuit, vt ab insequenti *u* non sit absorptum. *V* longam Latinorum parem vocalem apud Graecos non habet; sed tamen grauius esse videtur, cum quadam suauitate, quam  $\Omega$  Graecorum & par graecae diphthongo  $OY$ . Ergo apud Virgilium, tametsi in minori re, non minus venustum: *venio & Vpilio*, quam apud Homerum in re maiore  $\Theta\lambda\omicron\mu\acute{\epsilon}\nu\eta\eta$ .

§. XI. Restant apud Graecos diuae vocales breues, *E* & *O*: quorum *E* minus aures afficit. *O* vero laudatur magis propter linguae motum ad partem palati superiorem, & sonum pleniorum atque rotundiorum. Atque hinc est, quod apud Latinos in aliquibus verbis, *o* nostro arbitrato augetur, vt, *non equidem inuideo*. Sed de huius natura antea explicauimus.

---

CAP. XV.

DE

DIPHTHONGIS.

---

§. I.

**H**Aec vocalium esse videtur natura, qua vox informatur, aut ad suauitatem & asperitatem, aut ad grauitatem. Ex quibus diphthongi fiunt, coniunctae vocales, & duplicata oris vocisque forma.

§. II.

§. II. Quorum iudicium tamen ex vocalibus dependat: tamen ipsae etiam suo sono vocalium litterarum vim, potestatemque indicant. Quantum enim differentiae est inter *αυλη* & *ευχη*. *ευχομην* & *πυχομην*? & inter *g* commune & alterum Doricum *ω*? Quis est alienae linguae homo, quin sentiat, cum pronunciantur, id fieri vocalium, quae proponuntur sono?

§. III. Sed etiam vocales, aut deteriores fiunt aut meliores consonantium litterarum coitione. Plurimum enim interest inter *alacris*, & *hesperus*: cum in altero sit *a* sonorum, & altero *e* lene: tamen illa ipsa lenitas fit fortior propter viciniam consonantium. Et in verso Horatii, *eques ipse melior Bellerophonte*: in postremo verbo *e* tamen ter positum: tamen grauius est, propter consonantiam aliarum litterarum. Ergo harum etiam litterarum naturam perdidicisse oportet eum, qui aurium sibi iudicium velit arrogare.

## CAP. XVI.

DE

CONSONANTIBVS, ET PRIMVM DE SEMI-VOCALIBVS QVATVOR, ET DE Σ, QVOD A GRAMMATICIS APPELLATVM EST MONADIKON.

§. I.

**I**N iis igitur litteris, quae a Graecis vocantur *ήμιφωνα*, λ & suauitatem habet & grauitatem. De suauitate nullum est dubium. *Μέλι* enim & *μελέτη*, & *μελετῶν* suauia sunt.

*Siluestrem tenui musam meditaris auena.*

D suauē esse creditur propter λ Graecorum. Putant enim Grammatici *meditari* dictum esse a *μελετῶν*. Deinde apud Hom. *αὐτὸς δ' ἐλάριε τεύχε κύνεσαι*, λ habet tantam grauitatem, vt ε producat.

§. II.

§. II. Eiusdem est virtutis l Latinorum. Quis enim non animaduverteret, dignitatem esse in illo versu apud Virgilium,

*Idem Atlas generat, caeli qui sidera tollit.*

Sed in illo lenitas est,

*Qui legitis flores & humi nascentia fraga.*

Secundi & tertii verbi suauitas, quae comparata est l mollit insequentium sonos.

§. III. R, asperum & virile est,

*Arma virumque cano: Troiae qui primus ab oris.*

Quinques posium r ramale effecit foetus Persianum.

§. IIII. Medium locum occupant m & n, & propterea fortassis est, quod m apud Latinos propter mollitiem, vt vocalis, in versu contrahatur: tametsi etiam contractum grauitatem habeat, vt, *Multum ille & terris iactatus & alto.*

§. V. S & apud Graecos, & apud Latinos minus censetur sonans: fortassis, quia muliebrem habet asperitatem & sibilum parum virilem. Eaque de causa veteres Latini, aut vitarunt, aut excluderunt in versibus. Et atticis auribus magis suaue fuit dicere τάρτην, quam τάρσην: Φυλάττην, quam Φυλάσσην. Quamquam illud etiam animaduertitur, quoties moderate repetitur, neque mollem neque auribus molestum sonum efficere. Suauis enim est ille versus,

*Et secum sola sicca spatiabat arenas.*

Sed ille quasi virilior libro quinto Aeneidos,

*Annuus exactis completur mensibus orbis.*

## CAP. XVII.

DE

### CONSONANTIBVS DVPLICIBVS.

§. I.

**C**onsonantes Graeci duplices habent tres Ζ Ζ Ψ. Ex his Latini duas habent: tertiam diuiserunt, propterea fortassis: quia natura potuit diuidi.

§. II.

§. II. Scripsi enim apud Latinos, & apud Graecos *ἔγχεψα*, ut rei nota, ita etiam litterarum sono, vim videntur habere eandem. Neque quicquam interesse videtur inter Homeri, *σὺν δὲ δῖω μάχῃσας*, & illud Horatii, *Lambit hydaspes*.

§. III. Sed ζ & ξ in vtraque lingua retinetur: quanquam ξ infrequens sit apud Latinos, & solum in graecis verbis inueniatur: veruntamen apud Graecos ζ aures delectat magis, quam ξ aut etiam x apud Latinos. Suauius enim est apud Virgilium,

*Iam medio apparet fluctu nemorosa Zazynthus:*  
quam apud eundem, *priusquam pabula gustassent*  
*Troiae, Xantumque bibissent.*

§. IIII. Quanquam in principio sententiarum etiam x non insuaue, ut, *Xanthe retro propera*: tamen minus, quam z. Et nulla offensio in illo versu, *fortunate senex*: tamen multo suauius z in illo,

*Vere nouo gelidus canis, cum montibus humor*

*Liquitur, & Zephyro putris se gleba resoluit.*

Non enim solum propter anni tempus, sed etiam propter suauitatem verbi *Zephyrum* prae ceteris ventis elegit optimus poeta.

## CAP. XVIII.

DE

### CONSONANTIBVS MUTIS.

§. I.

**L**itterae, quae vocantur mutae, quam vim voluptatemque auribus adferant: Grammaticorum declarat diuisio. Fortissimae enim sunt maximeque sonantes aspiratae. Nam in illo versu Homerico,

*ἦ δ' ἴεν ἐκ θαλάμοιο περίφρων πηνελόπεια,*

quantum discriminis sit inter π & φ ipsa indicant verba.

§. II. Ut igitur asperae meliores sunt, quam reliquae

quae; sic inter eas ipsas, mediae praestantiores sunt, quam tenues,

*Nos patriam fugimus, tu Tityre lentus in umbra.*  
In hoc versu *f* & *g* sonantiora verba faciunt, quam alterae duae *p* & *t*.

§. III. Sed quantum ad mutarum litterarum vim attinget; his mutis adiungendum est etiam Latinorum *u*, cum pro consonante ponitur, & par est *f*, vt,

*Ab Ioue principium, musae: Iouis omnia plena.*

### CAP. XVIII.

DE

### SYLLABARVM ET BREVIUM ET LONGARVM PRODVCTIONE.

§. I.

**H**Aec de natura litterarum, ex quibus syllabae conficiuntur. Et quanquam longae vocales & consonantes, syllabas efficiunt longas: & breues litterae syllabas efficiunt breues: tamen longae aliquando aliae aliis sunt longiores: & breues quaedam aliis breuiiores. *Ego* enim primam breuem habet, par est eidem *rego*; sed quis non sentit, in *rego* plus esse soni? & in longis, *amare*, longum est: at longius, *amant*.

§. II. Aliquando etiam breues sonantior est, quam longa, vt, *tremo*, nescio quid plus habeat soni, quam *tremo*. Idem in diuersis fit verbis,

*Italiam fato profugus Lauinaeque venit.*

Quo in versu *profugus Lauinaeque*, ita coeunt, vt *profugus* postremam habet fortiorem, quam prima aut secunda sit in *Lauinaeque*.

§. III. Hanc rationem secutus & aurium & litterarum Halicarnassens, plurimum inter se differre sono putat ὀδδς, ῥόδς, τρόπς, ῥόφς. cum primae tamen omnes sint breues. Idem iudicat in longis.

Hy enim, tamen si longum est: tamen plus habet vocis πλῆν, & utroque sonantius est σπλῆν.

§. IIII.

§. III. Quamobrem huiusmodi coitionibus litterarum, aut augetur syllabae, aut decrescunt: id quod fit aut litterarum *παράθεσις*, cum aliquae apponuntur: aut *κράσεις*, cum lenibus & mediis aspiratae, aut duplices commiscuntur atque mutantur.

§. V. Ergo & litterarum concursus syllabarum variant discrimina: & coitiones syllabarum verborum grauitatem & sonum aut augent.

§. VI. Huic loco etiam addendum est, odiosas litteras verborum, quoties in versum ea necessario cadunt: tamen leniri, & litteras & verba: aut aspirari posse caeterarum litterarum adiunctione, quae alia verba secum adferunt. Halicarnasseus versus aliquot Homeri ex duris verbis suauiter concinnatos obseruauit.

*Βοιωτῶν μὲν πηνέλεως καὶ λήϊτ' ἤρχον.*

*ἀρκεσίλαός τε προδοήνωρ τε κλάνιός τε.*

*οἱ δ' ὕρην ἐνέμοντο, καὶ αὐλίδα πετροήσσαν.*

*σχοῖνόν τε σκῶλόν τε πολύκνημόντ' ἔτεωνόν.*

*θεσπέειαν γραϊάιν τε, καὶ εὐρύχορον μυκάλησσαν.*

*οἱ τ' ἀμφ' ἀρμ' ἐνέμοντο καὶ εἰλέσιον, καὶ ἐρυθράν.*

*οἱ τ' ἐλεῶν ἔρχον, ἢ δ' ὕλην, καὶ πετεῶνα.*

*ᾠκαλέην μεδεῶνά τ' εὐκτίμενον πολίεθρον.*

Barbara verba esse putat Halicarnasseus in his versibus Homeri, & ad audiendum dura, *ὕρην, σκῶλ' ὦ, ἔτεωνός, γραῖα, μυκάλησσ' ὦ,* & alia similia in eo Homeri loco: quorum nec origo constat, nec habent litterarum coniunctionem auribus iucundam; sed aliorum verborum consecutione facta esse iucundiora.

## CAP. XX.

DE

## PEDIBVS ET DE NUMERO ORATORIO.

§. I.

**O**Rator non solum voluntatibus & cogitationibus regitur auditorum, verum etiam auribus: neque solum

solum auditorum mentes, sed etiam aures affici volunt. Est ergo opus, ut inuentione sententiarum; sic etiam oratione numerosa.

§. II. Fuit hic numerus inuidiosus temporibus Ciceronis: propterea quod a paucis fuit cognitus oratoribus eius aetatis: quanquam & ab Isocrate is fuit obseruatus, & annotatus ab Aristotele, & apud Thucydidem atque Herodotum, qui multis vixerunt antea annis numeri inueniuntur, non temere illaplī in orationem, sed studiose accersiti.

§. III. Ad hanc rationem pertinent primum vox oratoris; deinde verborum sonus; postremo numerus.

§. IIII. Vox a natura datur, sed arte atque exercitatione excolitur, ut & magna sit & parua, & intermedia: prout res postulant, de quibus dicitur.

§. V. Verborum sonum harmoniam uoco, qui consistit in graui, acuto, & circumducto. Hic tantum varietatis habet, ut etiam apud poetas difficile sit duos inter se versus inueniri sono consimiles. Sed de hoc alio in loco scripsimus: quanquam huius loci sit praeceptio.

§. VI. Veruntamen nunc de numero, qui *ἰσχυρὸς* a Graecis est nominatus. Nam id haec disciplina postulat: quoniam ad magnam exercitationem & diuturnam, quae oratori necessaria est, varia suppeditat auxilia. Numerus ergo pedibus aestimatur; pes syllabarum & numero & potestate. Numerus simplex intra syllabas tres consistit. Syllabae litterarum, aut vi, aut coitione aestimantur, de quibus est dictum.

§. VII. Vnius syllabae pes est nullus, ut animal, nisi monstruosum, vno pede nullum. In numeris igitur duarum syllabarum *pyrrichius minutus* est absque grauitate duabus breuibus syllabis compositus *υυ*: cui contrarius est *spondeus* - - dignitatem adferens tarditate duarum syllabarum; in duobus sit versibus Hesiodi primis ad Persen fratrem,

μετὰ



μῆσαι περιήθεν αἰοιδῆσι κλείεσαι.  
 δευτε δε εννεπετε σφετερον πατερ υμνεισαι.

Vt etiam in illo Virgiliano: tamen in re maiore,  
*magnum Iouis incrementum.*

§. VIII. Medius inter hos duobus *iambus* ∪ - propter  
 primam breuem, & alteram longam, vt, *abite, Sofia.*  
 Hic naturalis esse creditur, & vltro cadit in consuetu-  
 dinem sermonis quotidiani.

§. VIII. Hoc melior est *trochaeus* ∪ ∪, prima longa  
 & altera breui: propter quam rationem quidem eun-  
 dem *chorem* nominant, choris & salutationibus ido-  
 neum numerum.

§. X. Quamquam *dichorem* ∪ ∪ ∪ Cicero laudauit,  
 & eodem valde est delectatus: eoque laudat clausulam  
 illam Crassi in oratore, *temeritatem patris filii temeri-  
 tas comprobauit.* Ob hanc suauitatem etiam vsurpa-  
 tur hic pes in Sapphicis versibus:

*Sperat infestis, metuit secundis,*

*Alteram sortem bene praeparatum Pectus.*

§. XI. Sed haec de pedibus duarum syllabarum. In  
 alteris, qui trium sunt, deterrimus est *choreus* ∪ ∪ ∪ ille,  
 qui *tribrachus* ab aliis appellatur, *βρέμια δορονόφ-  
 ρε, ενυάλια, πολεμικέληδε.*

§. XII. Hoc longe praestantior *molossus* --- est, con-  
 trarius numerus: tribus syllabis longius insistens, vt,  
*quare, Caesar, ego quoque a te hoc peto.*

§. XIII. *Amphibrachus* ad mollitudinem chorei ac-  
 cedit, vtrinque breuem habens, media longa ∪ - ∪:  
*amare volebat.*

§. XIII. *Anapaestus* ∪ ∪ - virilis & fortis, vt, *tibi  
 causam aliquam reditus darem.*

§. XV. Sed *dactylus* ∪ ∪ ∪ splendidior est, cum suaui-  
 tate: *arma virumque cano. μήνιν αείδε θεοί.*

§. XVI. *Creticus* ∪ - etiam pro generoso habetur,  
 duabus vtrinque longis, media breui, vt, *cogitan-  
 ti mihi.*

D

§. XVII.

§. XVII. At grauior *bacchius*, duabus longis primis, & vt vltima breui - - o: vt, *etsi vereor, iudices*, hic a *bacchio* inchoatur sententia & continuatur *hypo-bacchio* o - - : in quo prima est breuis, & duae insequentes longae.

§. XVIII. Reliqui pedes, qui praeter hos sunt, pro compositis haberi possunt. Ergo ad hos referentur, in quibus consistit omnis & varietas & compositio, & plenitudo orationis. Quamobrem neque de *dichoreo* hic dicendum, quem Cicero amat; neque de *paean* priore, aut posteriore; de quo est apud Aristotelem; cum alter ex duobus compositus sit choreis; & alter ex spondeo & iambo & trocheo.

§. XVIII. Hi sunt oratorum numeri; & qui in his laudabiles sunt, vbique possunt adhiberi; qui vero aut molles, aut languidi aut remissi, adiunctione caeterorum possunt temperari.

### CAP. XXI.

DE

### CONFORMATIONE VERBORVM, QVAM GRAECI ΣΧΗΜΑΤΙΣΜΟΝ VOCANT.

#### §. I.

**P**ost compositionis praeepta proximum locum conformatio possidet. Eam voco, quam Graeci *σχηματισμόν* nominant; qua nominum & verborum certa constituitur forma. Atque non solum verborum est conformatio, sed etiam membrorum; quibus plenae continentur sententiae. Itaque tradendum nobis est in hac parte; quid in verbis sit conformatio, & quid in sententiis membrorum compositio.

§. II. Forma itaque generibus aestimatur, & casibus & numeris & temporibus, ipsisque orationis partibus; quorum omnium varietas non paruam apporstat utilitatem ad orationis elegantiam.

§. III. Nam vt de verborum mutatione proponamus

mus; considerentur illa principia, quantum inter se differant. *Cum T. Annius Milo ipse magis de reipublicae salute, quam de sua perturbetur: et, credo iudices mirari: et, quae res in ciuitate duae plurimum possunt: et, maxime vellem iudices.* Imo non est nullum discrimen inter haec duo. *Credo ego iudices mirari vos: & animaduerti, iudices, omnem accusatoris orationem in duas diuisam esse partes.*

§. III. Primum ergo numerus saepe mutatus, fit gratiosior, vt,

*Bella per Aemathios plus quam ciuilia campos:*

Et, *Arma virumque cano.*

Sed poetarum haec sunt; eoque astricta & necessaria videri possunt. Veruntamen oratoribus idem propositus est delectus, vt, *cum vehementer tabellarios vestros expectarem quotidie: non solum mentibus eorum ad quos scripsit, verum etiam auribus indulsit & maluit tabellarios videri expectasse multos, quam vnum.*

§. V. Simile est in eadem epistola, *gratos tibi optato:que esse, qui de me rumores afferuntur: non dubito, mi dulcissime Tyro.* At de se aliquid promittens, desinit ibidem in numero contrario, *praestaboque & enitar, vt in dies magis magisque haec crescens de me duplicetur opinio.* Numero effecit, vt multorum rumores eodem pertinere videantur; scilicet ad opinionem & aedificationem hominum de se conceptam.

§. VI. Sic casus etiam varie efficiunt: *quae res in ciuitate duae: casus primus, qui dicitur rectus, orationem inchoat; is diuerso excipitur, sequenti comprehensione, quarum alteram vereor.* Sed cum in eadem comprehensione fit casuum mutatio, venustior efficitur sermo, vt, *Crassus verbum nullum contra gratiam: caeteros iam nosti, qui ita sunt stulti, vt amissa republ. suas fere salutes sperare videantur.* Denique plurimum inter se differunt, *Tityre tu patulae: Formo-*

sum pastor Corydon: *Quid faciat lactas segetes: et  
Arma virumque cano.*

§. VII. In verbis maior est varietas temporum, modorum, formarum, quod apud Graecos apertius cognoscitur. Η τῶν χρόνων, καὶ ἐγκλίσεων ἕτερος σχηματισμός. Sed etiam apud Romanos fuit in his magnus delectus: *arma virumque cano. Dic mihi, Damaeta, cuium pecus. Fortunam Priamo cantabo & nobile bellum.*

§. VIII. In hac varietate illa est retinenda partitio Graecorum: ut in nominibus tum ὀρθῶν seruetur, tum πλαγισμός. In verbis etiam & ὀρθῶν & ὑπὸ πλάγιον.

§. VIII. Directa in nominibus consecutio est, *Stattius ad me venit. Item, P. Quintius pater huius Quintii. Deducta autem, duas a te accepi epistolas heri. Et in verbis relictio est, Narno tibi: plane relegatus mihi videor. Sed remissior, vellem equidem, Brute.*

§. X. Modi verborum, quo plures; eo magis varium adferunt ornatum: indicando, imperando, optando, constituendo, ponendo id, quod est infinitum. Nihil in his tam minutum est, quod non magnum adiuumentum suppeditet, si recte applicetur.

§. XI. Ad hanc rationem conformandae orationis reuocandae etiam sunt immutationes Grammaticorum, ἐναλλαγῆ, ἑτερώσεις, ἀντιμεταί, item nominum fortasse nouationes. Claritudinem Salustius posuit, non semper, claritatem; & praestabilius nihil virtute esse dicit, non praestantius.

§. XII. Eodem pertinet creber verborum idem significantium vsus; tum in locis diuersis, tum in iisdem sententiis eadem copulata. Amicitiam saepe Cicero vocat & benevolentiam & charitatem; aliquando etiam benevolentiam & charitatem nominat; & aliquando benevolentiae charitatem.

§. XIII.

§. XIII. Sed haec de verborum conformatione. Altera est membrorum: quae consistit in ornamentis sententiarum: cum interrogamus, & nobis ipsi respondemus: cum proponimus & adiungimus approbationem: cum optamus, gaudemus, dolemus, exclamamus, conquerimur, mandamus, vetamus, minamur, irascimur. His enim omnibus varius efficitur orationis quasi quidem habitus. Atque haec est causa, quamobrem σχήματα & σχηματισμοὶ nominentur. Expostulat apud Ovidium & mandat Penelope duobus versibus,

*Hanc tua Penelope lento tibi mittit Vlyssi:*

*Nil mihi rescribas: attamen ipse veni.*

Mihi irascitur & optat, quae fieri non poterant.

*O utinam tunc, cum Lacedaemona classe petebat,*

*Obrutus insanis esset adulter aquis.*

Deinde conqueritur de sua solitudine,

*Non ego deserto iacuissem frigida lecto:*

*Nec quererer tardos ire relicta dies.*

Post interrogat admirabunda,

*Quando ego non timui grauiora pericula veris?*

Et argumentatur continenter,

*Res est solliciti plena timoris amor.*

Eamque conclusionem post confirmando probat copiosius,

*Sive quis Antilochum recitabat ab Hectore victum:*

*Antilochus nostri causa doloris erat.*

CAP. XXII.  
DE  
PERIODORVM POSTREMA  
DIVISIONE.

## §. I.

**E**X hac varietate orta est alia conuersionum diuifio: quae hic est explicanda. Nam id ante promiffimus. Quaedam enim earum formae a casibus funtuntur: vt aliae fint ὀρθαί: aliae πλαγίαι. Rectae omnes in nominibus ὀνομαστικαί nominantur. Quae versò quasi obliquatae sunt: haec casuum nominibus notantur: vt aliae sint aut γενικαί, aut δοτικαί, aut αἰτιαστικαί, aut κλητικαί: quibus addi potest casus latinus sextus, qui αἰφαιρετικὰς conuersiones facit.

§. II. Haec igitur prima est formarum varietas: altera a verbis sumitur: in quibus etiam quaedam ὀρθαί appellantur: quaedam ὑπτίαι. In his rectae omnes ὀριστικαί sunt. Diductae sunt (sic enim appellemus ὑπτίαις) aut προσαδικαί, aut εὐητικαί, aut ὑποτακτικαί: propterea quod aut imperando, aut optando, aut adiungendo sententias perficiant.

§. III. Cuiusmodi haec sint, facile est intelligere etiam absque exemplis: quae vbique quam plurima sunt; sed apud bonos scriptores praeclara. Habet enim haec pars & ampliorem, & laudabiliorem usum, quam praeceptionem: quod architectura intelligitur: in qua minus est materiae, minus instrumentorum: multa tamen & varia sunt magnificorum aedificiorum genera.

§. IIII. Est etiam alia periodorum partitio ad verba & nomina pertinens: quod pars vna verborum rerumque

rumque vna consecutione absolutam habet sententiam absque vlla interpositione. Pars altera & ὑπέρβατα habet, & ἐπεμβολὰς, & παρενθέσεις. Vtriusque generis nullus est locus, in quo exempla non exstent.

§. V. Ad hanc partitionem etiam pertinet, quod aliae diuisione consent: aliae eadem careant: aut quod aliae incisis habeant diuisa membra: aliae absque incisis rem aut vniuersam, aut finitam complectantur. Sed haec verborum est partitio: nisi quod illae ὀριστικαί, προσακτικαί, εὐτικαί & ὑπατακτικαί sententiarum etiam sint.

§. VI. Rerum vero atque sententiarum est alia ratio. Nam pars vna est ἀποδεικτικὴ: qualis in propositionibus, partitionibus, conclusionibus, digestionibus, transitionibus, oratio componi solet. Pars caetera σχηματισμὸν habet: non quod haec etiam conformatione careat (nihil enim est in oratione informe) sed quod illa pars altera habitus morum exprimat: quae partim exclamando, indignando, admirando, obiurgando, vituperando, accusando, conficitur: pars etiam sedationem habet, & hilaritatem, & contentionem, & comprobationem, & laudem, & dissimulationem.

§. VII. Vnde illa exstant Rhetorum vocabula: vt aut ἐπιτιμητικαί vocentur quaedam, aut ἐκφωνητικαί, aut ἐρωνηκαί. Nam non opus erat omnes ambitus orationis notare verbis; sed ex vno omnes, quales sint, possunt considerari.



## CAP. XXIII.

DE

TRANSFIGVRATIONE, QVAM VOCANT  
METΑΣΚΕΤΗΝ.

§. I.

**D**Octrinae de compositione, confirmatione, & transfiguratione Graecorum est: inter quos Halicarnassensis exstat, qui vno in loco de omnibus hisce tribus praecepit. Ergo vt in superioribus duobus: ita etiam in isto tertio sequamur hunc auctorem.

§ II. Transfiguratio a Graecis μετασκευή est nominata: qua orationis forma immutatur, vt fiat varia: nec vnus generis sit: eaque fit aut additione, aut ablatione: idque vel in principio, vel medio, vel fine.

§. III. Nam, *eis τριτονὶ τὸν ἀγῶνα*, transfiguratio verbi est, *τριτονὶ* dicere, non *τρίτον*: & *κατιδέων* pro *ιδέων* & *conficere* pro *facere*: & *amarunt* pro *amauerunt*. Huius generi sunt Comicorum etiam verba: *dic sodes*, *Ἐπαγεσίς*, *Ἐαεπόλ*, *Ἐεαστόρ*. Etiam historicorum, *mehercule*, *medius fidius*. Vocales etiam Graecorum in fine absorptae *α ε ο*.

§. IIII. Sed vt superiora duo fuerunt & verborum & membrorum, atque comprehensionum: sic etiam transfiguratio. Nam vt ad nomen apponitur saepe aliquid, vt, *agier* pro *agi*, & *dicier* pro *dici*: sic etiam in comprehensionibus membra quaedam aut incisa, aut verba, vel praeposuntur, vel interponuntur, vel adiiciuntur ad extremum. Hinc illa methodica Graecorum & Hermogenis vocabula, *ὑπέρθωλον*, *ἐπεμβολή*, *ἐπισύναψις*, *προσθήκη*, *ἀναστροφή*.

§. V. Latissime haec ratio patet: in verbis, membris, & circumductionibus, magnam adferens voluptatem. Et quanquam in verbis magis vsurpata poetis est: praesertim

CAP

A D

fertim



fertim graecis, quam oratoribus: tamen in sententiarum connexionibus variant: & suauitatem in dicendo, & inscribendo conciliant, tolluntque fastidium.

§. VI. Plenus orbis est apud Salustium, qui si reputauerint, & quibus ego temporibus magistratus adeptus sum: & quales viri idem assequi nequiuertint: & postea quae genera hominum in senatum peruenerint: profecto existimabunt, me magis merito, quam ignauia iudicium animi mei immutasse. Plenus orbis est huius sententiae: verumtamen addidit diligens & artificiosus alteram ambagem duorum membrorum, magisque commodum ex ocio meo: quam ex aliorum negociis, reipubl. venturum.

§. VII. Etiam verbo fit saepe transfiguratio, vt fit apud eundem, verum ego liberius altiusque processit: dum me ciuitatis morum piget, tacetque. Postremum verbum additum non solum sententiam pleniorum facit, sed etiam clausulam reddidit numerosiorem. Ad hanc rationem pertinent verborum ornamenta, iterationes, geminationes, repetitiones, deflectiones, reticentiae: & quicquid est simile, quod aut additum, aut ablatum, orationis immutat figuram.

## CAP. XXIII.

DE

## TRANSFORMATIONE PERIODORVM.

## §. I.

GRAeci Sophistae exercitationes suas *διερπίσεις* nominarunt. Vetusum hoc verbum est, quo etiam Aeschines vtitur: vbi de Demosthenis fortitudine disserit. Constabat haec consuetudo multiplici ratione: eiusque pars fuit nonnulla *μετασχηματισμός* siue *μεταποίησις*: quam ego hic transformationem voco.

§. II. Est autem transformatio confectae & informatae periodi immutatio. Haec in scriptoribus vitio-

sis demonstrat, quomodo aliquid melius fieri poterat; in probatis, quid sit perfectum; in nostris, quando amouendus sit stilus; & non extimescendum sit, non solum vulgi leue, verum etiam eruditorum hominum subtile iudicium.

§. III. Eius rationis Hermogenes duo exempla ex Demosthene posuit; apud quem est illa de lege Leptinae conuersio, ἐν μὲν γὰρ τῷ γράψαι μηδένα εἶναι ἀτελεῖν τὰς ἔχοντας ἀφείλετο τὴν ἀτέλειαν· εἰς δὲ τῷ προσγράψαι, μηδὲ τὸ λοιπὸν ἐξεῖναι δεῖναι· τὸ δεῖναι ὑμῖν ἐξεῖναι. Ter enim ista transformari potest verbis non mutatis; sed membris traiectis, vt sensus idem retineatur. Primum si duo postrema membra primo loco ponantur, vt, ἐν μὲν γὰρ τῷ προσγράψαι μηδὲ τὸ λοιπὸν ἐξεῖναι δεῖναι· τὸ δεῖναι ὑμῖν ἐξεῖναι· ἐν δὲ τῷ γράψαι μηδένα εἶναι ἀτελεῖν τὰς ἔχοντας ἀφείλετο τὴν ἀτέλειαν. Deinde, si membrum primum & tertium coniungantur, & vtraque propositio reflexionibus anteponatur: vt, ἐν μὲν γὰρ τῷ γράψαι μηδένα εἶναι ἀτελεῖν καὶ ἐν τῷ προσγράψαι μηδὲ τὸ λοιπὸν ἐξεῖναι δεῖναι καὶ τὰς ἔχοντας ἀφείλετο τὴν ἀτέλειαν καὶ τὸ δεῖναι ὑμῖν ἐξεῖναι. Tum, si reflexiones primum locum occupent: & sequantur propositiones: vt, καὶ τὰς ἔχοντας ἀφείλετο τὴν ἀτέλειαν καὶ ὑμᾶς τὸ δεῖναι ὑμῖν ἐξεῖναι· ἐν τῷ γράψαι μηδένα εἶναι ἀτελεῖν καὶ ἐν τῷ προσγράψαι μηδὲ τὸ λοιπὸν ἐξεῖναι δεῖναι. Itaque vnus epicherematis quadripartita ista conuersio est; vnaque Demosthenis conuersio ter mutata; nec de sensu, nec de membrorum numero amittit; vt quatuor maneat partium, quemadmodum prima fuit.

§. IIII. Alterum exemplum Hermogenis decussationem recipit, quem Graeci χιασμὸν vocant: propter  
for-

formam primae litterae. Et quae exempla decussari possunt; ea saepius, quam ter, pluribusque modis immutantur.

§. V. Est autem decussatio in periodis; cum utrisque propositionibus utraeque reflexiones; contra etiam utrisque reflexionibus utraque propositio est applicabilis: at in hoc circuitu, ὁ μὲν γὰρ Φίλιππος ὅσα πλείονα ὑπὲρ τὴν ἀξίαν πεποίηκε τὴν ἑαυτοῦ· τοσῶτ' αὖτα δαυμασότερος παρά πᾶσι νομίζεται· ὑμεῖς δὲ, ὧ ἄνδρες ἀθηναῖοι, ὅσα χεῖρον ἢ προσήκε κέχησθε τοῖς πράγμασι· τοσῶτ' αὖτα πλείονα αἰσχύνη ὠφλήκατε.

§. VI. Nam vel ita transponi reflexiones possunt: vt primae propositioni posteriori adiungatur reflexio: & secundae propositioni prima reflexio, ὁ μὲν γὰρ Φίλιππος ὅσα πλείονα ὑπὲρ τὴν ἀξίαν πεποίηκε τὴν ἑαυτοῦ· τοσῶτ' αὖτα πλείονα αἰσχύνη ὠφλήκατε· ἡμεῖς δὲ, ὧ ἄνδρες ἀθηναῖοι, ὅσα χεῖρον ἢ προσήκε κέχησθε τοῖς πράγμασι· τοσῶτ' αὖτα ἐκείνος δαυμασότερος παρά πᾶσι νομίζεται. Vel secundae propositioni prima reflexio, & propositioni primae secunda reflexio annectatur: vt, ὑμεῖς δὲ, ὧ ἄνδρες ἀθηναῖοι, ὅσα χεῖρον ἢ προσήκε κέχησθε τοῖς πράγμασι· τοσῶτ' αὖτα ἐκεῖνος δαυμασότερος παρά πᾶσι νομίζεται· καὶ ὁ Φίλιππος ὅσα πλείονα ὑπὲρ τὴν ἀξίαν πεποίηκε τὴν αὐτοῦ· τοσῶτ' αὖτα ὑμεῖς πλείονα αἰσχύνη ὠφλήκατε. Bis vna decussata haec tenus est: & rursus bis potest: si reflexionibus primus locus tribuatur. Poterit etiam multiplici alia commutatione, vt illa prima: id quod intelligendum facile est, neque difficile experiendo.

§. VII. Quid igitur decussatio sit, non puto obscurum esse: de periodis loquor: nam est etiam decussatio in collocatione rerum propositarum, cum fit ἀναστροφῆ:

vt

vt in oratione Quintiana, cum gratiam Naeuii primo loco posuisset: deinde eloquentiam Hortensii: tamen in periodis insequentibus eloquentiae primum locum tribuit: & alterum gratiae. Sed nunc de hac, sed de conuersionum immutatione.

§. VIII. Omnia haec, quae ex Hermogene proposui exempla, quatuor membrorum sunt: tamen in reliquis etiam generibus ista ratio vsurpatur, vt, *qui in vita nihil habet iucundius vita: is cum virtute vitam non potest colere. Immutatur ordo, is cum virtute vitam non potest colere: qui in vita nihil habet iucundius vita.* Idem in tribus membris, *nihil ille de conditionibus tuis: nihil de studio concordiae & pacis: nihil de conspiratione audiebat certorum hominum contra dignitatem tuam.*

§. VIII. Quis non videat, multifariam hanc conuerti posse? vt inuersione, *nihil ille de conspiratione certorum hominum contra dignitatem tuam: nihil de studio concordiae & pacis: nihil de conditionibus tuis audiebat.* Sic etiam traiectione membrorum, *nihil ille de studio concordiae & pacis: nihil de conspiratione certorum hominum contra dignitatem tuam: nihil de conditionibus tuis audiebat.* Item ad istum modum, *nihil ille de conditionibus tuis: nihil de conspiratione certorum hominum contra dignitatem tuam: nihil de studio concordiae & pacis audiebat.* Item sic, *nihil ille de studio concordiae & pacis audiebat: nihil de conditionibus tuis: nihil de conspiratione certorum hominum contra tuam dignitatem.* Denique hoc pacto: *nihil ille de conspiratione audiebat certorum hominum, contra tuam dignitatem. nihil de conditionibus tuis: nihil de studio concordiae & pacis.*

§. X. Suscipitur haec conuertendi consuetudo quatuor potissimum in scriptorem generibus: quorum vnum est cum in eadem consumitur lingua: idque in scriptore bono, qualis Cicero est, vt & est Demosthenes. In quibus aut nunquam, aut rarissime aliquid potest confici melius: quod perfecti oratoris atque scriptoris est documentum. In quo etiam si nihil elaborando fiat melius

melius: tamen non caret haec exercitatio utilitate. Condiscimus enim nos, quid optimum sit & aures nostras erudimus: ut non minus in oratione libera plenas numerosasque conuersiones requirant: quam in adstricta, versum integrum atque perfectum.

§. XI. Alterum scriptorum genus est aut indoctum: aut non sic, ut isti duo; consummatum. Ad quod ante praeceptiones & ante primum genus non est accedendum. Aut enim frustra laborandum esset: aut iisdem esset animus imbuendus erroribus. Sed post primam exercitationem etiam ista commoditates adfert, ad iudicandum, ad emendandum, ad confirmandam eam, quae in nobis est, facultatem.

§. XII. Tertium est in sermone alieno, & in linguis interpretandis atque conuertendis. In quo genere vberior est utilitas: & stilus liberior: & quodammodo sui iuris: non solum in membris traiciendis; verum etiam in verbis & sententiarum formis nostro arbitratu immutandis: ut ex omnibus, quae meliora sunt sono, potestate, venustate, similitudine, eligendi fiat potestas.

§. XIII. Quartum, quod est postremum nostrae est foeturae. Nam eam quasi lambendo & educando reddimus formosiorē: ita, ut in caeteris cum alienis contendamus: hic nobiscum pugnemus, nosque vincamus ipsi nos: quod genus victoriae a Socrate praestantissimum atque praeclarissimum iudicatum est: in quo maxime decorum est retinendum. Nam ut moribus multa nimio studio inepta: sic etiam in oratione multa nimium affectando indecora fiunt.

\*

\*

\*

## CAP. XXV.

DE

DECORO RETINENDO IN PERIODIS ET IN  
ELOCVTIONE, ET DE DICENDI  
GENERIBVS.

## §. I.

**D**icendum ergo de decoro huius rationis est: quod hic non personis, vt apud poetas; sed dicendi aestimatur generibus. Vnamquamque enim dicendi formam sua decent & incisa & membra, & conuersiones. Sed placet solum hoc in loco indicare dicendi formas: explicare non placet. Nam huius id neque temporis est, neque libelli.

§. II. Genera dicendi primum scriptoribus omnibus censentur: nam aut poeticum est aliquod genus, aut historicum, aut philosophicum, aut rhetoricum.

§. III. Vniuscuiusque horum multae sunt partes. Nam poetarum carmina aut tragica sunt, aut comica, aut epica, aut melica.

§. IIII. Et historiae quaedam annales sunt, quaedam commentarii, quaedam etiam verae historiae, hoc est, exegematicae rerum explicationes.

§. V. Scripta etiam Philosophorum aliqua loquentium hominum sermones habent: nonnulla perpetuam de rebus disceptationem.

§. VI. In oratoribus non officii artificum aut personarum, vt in istis; sed formis genera dicendi sunt distincta primum tribus: graui, humili, mediocri: quorum vnumquodque cuiusmodi sit, sua sponte cognoscitur. Sed quoniam haec tria non sunt vnus quasi aut coloris, aut modulationis: propter elationes & remissiones, quae sunt saepe in orationibus: cadunt in ista plerunque reliquae siue minores siue inferiores septem dicendi formae, quas *ideas* Graeci vocant: vt perspicuitas, magnitudo, celeritas, moratio, veritas, grauitas, in qua est decorum. Singula vero haec suas habent &

& sententias, & tractandi rationem, & verba, & ornamenta, & membra, & collocationes & clausulas: ex iisque confectum numerum.

§. VII. Haec didicisse oportet, qualia sint: vt in imitando obseruata: & in scribendo, declamando, dicendo adhibita illustre decus atque decorum repraesentent. Sed res causaeque secum ipsa dicendi genus adfert: ad defendendum innocentem parricidam: ad accusandum patriae hostem magnis opus est clamoribus: & eloquentiae omnes copiae requiruntur. De Deo etiam & de religione: & ceremoniis necessariis quis conuenienter dicere potest, absque sapientia magnarum rerum earumque ornatu? contra, de iugero vno, de pecunia parua, de stillicidiis, quam indecorum esset vociferari, & verborum ornatu affectare laudes eloquentiae.

§. VIII. Causae igitur earumque argumenta genus orationis, cuiusmodi sit instituendum, sponte significant. Eaedem etiam sententias secum adferunt, & demonstrant oratori, qualia e suis argumenta locis promere debeat. Et quia sententiae ipsaeque argumenta, aut granditatem habent aut remissionem rerum: aut rerum complexu multiplices sunt aut vniusmodi: quomodo collocari velint, & quomodo proferri atque tractari, facile est videre illi, in quo natura est, & ars & imitatio, & nonnullus vsus & exercitatio.

§. VIII. Eadem verborum est ratio: vt rebus & sententiis & earum expeditionibus conuenientia delignantur. Ornamenta iisdem ex fontibus deriuentur: vt appareat, quis verborum rerumque ornatus vnamquamque deceat sententiam: & quae sententiae, quibus deceat ornamentis explicari. Minus est laboris in membris & incisis & periodis metiendis: si superiora considerata teneantur.

§. X. Ex horum omnium concursu compositio existit, vt decora sit verborum rerumque consecutio: vt clausulae conuenienter terminentur: vt numerose  
conti-

continuentur: quorum alteris septimum locum dedimus ex Hermogene: numero octauum: qui oritur ex verborum tum collocatione tum termino.

§. XI. Semper verum inspectanda causa est, etiam in dicendi inferioribus generibus. Res enim obscurae perspicuitatem flagitant: numerosae magnitudinem: suaves pulchritudinem: breues celeritatem: personae mores: incredibilia varietatem. Omnia autem gravitatem & decorum: quod collocationem, quod conformationem, quod transfigurationem talem flagitat: qualem res videntur ipsae desiderare.

§. XII. Ineptum enim est & vituperabile, quodcumque est indecorum. Sed indecorum fortassis est, me plus expedire, quam promiserim. Indicare enim tantum constitui dicendi genera. Itaque huic muneri hic finem facio: quod tibi Elizabetha, clarissimae Principi mitto: ut legas, ut tuearis: si dignum tuis clientelis, tuoque patrocinio esse videatur.



IOHANNIS STVRMII  
 AD  
 BARTHOLAEMAEVUM SIFFERTVM  
 EPISTOLA  
 NVNC PRIMVM PVBLICATA.

IOHANNES STVRMIVS  
 BARTHOLAEMAEO SIFFERTO.

**C**VM de scholis nostris, Sifferte, quas funesta pestis dissipauerat, instaurandis cogitarem: tria genera reprehensorum metuebam, quos simul de principio statim sensi existere. Exorti enim subito



subito sunt: qui dicant, Socraticam quandam instituire me rationem: & formam quandam animo complexam nostro scholarum: quae optari quidem possit: sed constitui & perducere non queat ad exitum eum, quem proponerem. His accedebat etiam alterum genus: qui metuere prae se ferebant, ne non aliquo fastidio auocarer ab huiusmodi laboribus, quos haec requirit instauratio: & tum praecipue: cum sensurus essem: collegas & reliquas operas: vel non pares esse huic institutioni: vel praecuntem me ac praescribentem non libenter subsequuturos. Apparebat etiam tertium genus eorum: qui in excitationibus aliquid videbant, quod vituperarent. Quibus non placebat Terentium & Plautum agi ludis nostris: propter adolescentum amores, & quod psalmodias Latinas reuocarem pontificio potius repudiato instituto: quam ratione aliqua bona, nostrarum ecclesiarum ritibus consentaneo. Cum & copia sit, & delectus haberi possit Germanicorum cantuum: & aliquae exstant nostrarum hominum comoediae: quae a sacris non discedant historiis. Has omnes certe vituperationes: facilius nobis est refutare: quam illis proponere. Nam quod neque difficile, neque arduum id assequi: quod a me non praecipitur sed petitur, id res iam ipsa probat: & septem mensium spatio viderimus quantum haec ratio a superiore differat: & si constantiam praestiti difficillimis illis nostrae religionis temporibus: tum cum ego meorum collegarum fidem experiebar: & illi meam comprobabant: tum, inquam, cum in discrimen vocabamur omnium rerum: cum sanctitas ex suis templis eiiceretur: cum magistratuum magna

E

fieret

feret commutatio: cum omnia in potestatem essent tradita aduersariae parti: quid est, quod collegae mei de me, & ego de illorum dubitem constantia: aut hi reprehensores de nostra vtrunque fide meruant? Terentium & Plautum poetas duos Latinos, sermone puro: Deus annos nobis prope bis mille reliquit: neque ex vllis scholis explosi fuerunt: ne quidem barbaris monachorum: cur nos illis nostrum ocludamus ostium? Quod psalmodias Latinas reprehendunt: cur impium sit, in Latinis scholis ea modulari Latine: quae pium est in Germanicis concionibus Germanice personare. Habes Sifferte paucis: & quae isti vituperent: & quae a nobis referantur: & te iudicem ac testem facio: eorum quae a me tradita sunt & traduntur: & quae fiunt a magistris atque collegis meis: & qualia sint, & quanta sint, quae a nostris discipulis his paucis mensibus percepta sint atque percipiantur. Sed pluribus ego respondebo de Plauto & Terentio: idque apud te cupidum sermonis puri atque Latini & studiosum disertae orationis ac eloquentiae. Vellem equidem Plautum habere in aliquibus locis verecundos sales: sed habet aliquot non impudicas fabulas: quas ad te iam mitto: quas si delegi, & si alias in theatrum nostrum non afferam: quid habent istae verecundae & pudicae aures, quod queant vituperare? Deinde Terentius vsque adeo a spurcis iocis abstinuit: vt bonas introduxerit meretriculas. Neque credo plus mali esse in sermone Plautino: quam saepe pueri domi a domesticis audiant: atque vtinam non audiant deteriora. Tum quando virtutis pulchritudo poterit ob oculos poni: nisi e regione opponatur vitiorum deformitas? Postremo quid interpres & doctor in scholis facit: si non adolescen-

tes

tes docet: quid in scenicis personis laudabile sit, & quid cum dedecore coniunctum: & quae in fabulis fugienda exempla sint: & quae per aetatem arripienda. Si haec incommoda fugiamus hoc delectu & hac ratione explicandi: quis est litteratorum & eruditorum hominum, qui non has fabulas, & harum veteres autores: nouis nostris scriptoribus anteponat? Neque ista eo scribo: quod hos nostros contemnendos arbitrer: sed quod optimos auctores secutus: iudicem meliora, minus bonis semper anteponenda esse: & ab optimis sumenda esse principia. Neque etiam idcirco scribo: quod novos nostros in nostras scholas non velim admittere: sed his malo iuuentutem institui, & has fabulas illos antecedere. Praeterea si aliena & non nostri Gymnasii sumenda sunt: malo vetera quam recentia: & Romanorum potius quam alterius gentis. Postremo nolo ianuam patefacere mihi meisque collegis ad desidiam: vt aliorum inuentis contenti: nihil de nobis proferamus in medium: & fortassis breui e nostro ludo ego, & quos mihi adiunxi producemus in theatrum: quae velimus placere populo: vt si post aliquid adiungemus quod externum sit, & non nostrae reipubl. videamur id facere: non ob desidiam aut ignorantiam: sed vt existiment homines: & nos nostram amare existimationem: & aliorum non inuidere gloriae. Sed haec de nostro instituto: scriberem etiam aliquid de Comoedia & Tragoedia, quomodo inter se differant: non solum personis & rebus: sed etiam verbis & sententiis: dicendique genere: tum etiam quid discriminis inter Plautum & Terentium sit: & quae ratio imitandi, tum tragicos scriptores & comicos: tum hos duos comicos poetas, qui

omnes: de comicis loquor & Tragicis, de Terentio & Plauto: multa habent communia: multa propria: de his inquam scriberem aliquid: sed scis mi Sifferte ista me iam hoc autumno copiose in scholis tractare: quae cum absoluta erunt: si animaduertam placere & vtilia esse posse: patiar ea lucem aspicere: & in publicum progredi. Tu vero perge, vt coepisti: auctoribus bonis & dialecticis atque rhetoricis praeceptis: linguam mentemque excolere: vt in patriam reuersus: paternis laribus gratiam refferas: si exemplum te tui domi habeant: si quae extra patriam didicisti: ea ad patriae laudem utilitates transferas: vt hi tui doctrinae fontes in varios seruios diuidi patiantur: quibus ciues tui suum fundum irrigare possunt & bene colere. Hunc Plautinum succum mi Bartholaemee pro tuo succino mitto: non vt idem faciam hoc dono, quod tuo fecisti: sed vt erga te benevolentiae meae significationem dem: qualem tu erga me tuo munere declarasti. Vale. Argentorati Nonis Octobr.

CIC IO LXV.







70070

AB 70070


1018

ULB Halle


3

007 105 592









B.I.G.

Farbkarte #13

3

IOHANNIS STVRMII  
DE  
**PERIODIS**  
**LIBELLVS**

VNA CVM EIVSDEM

AD

BARTHOLAEM· SIFFERTVM  
**EPISTOLA**

NVNC PRIMVM PVBLICATA

EDITVS CVRA

**FRID· ANDR· HALLBAVERI**

ELOQV' ET POES' PROF' PVBL' ORD'

QVI IN PRAEFATIONE PRAEMISSA  
STVRMII

**MERITA ET LAVDES**  
ATTIGIT.

EDITIO SECVNDA.



IENAE

PROSTAT APVD CHRIST· FRANCO· BVCHIVM

CIO· MDCC· XXXIII.

*C. An. 1.*

